[illegible]

[illegible]

EXPOSITIO REGULÆ FRATRUM MINORUM

AB IPSO

SERAPHICO PATRE NOSTRO

FRANCISCO

EJUSDEM LEGIS-LATORE

VERBIS, FACTIS, EXEMPLIS

TRADITA;

OPERA, STUDIO, SOLICITUDINE

R.mi P. F. PETRI MANERO

Totius Ordinis Minorum Ministri Generalis

CONCINNATA,

&

Ad universos totius orbis fratres pro puriori illius observantia transmissa.

QUAM

Ob R.mi Patris hujus, jam pridè vitâ functi, piam memoriam, Suo ac Provinciæ suæ Comitatus Flandriæ *S. Joseph* F.F. Minor. Recollector. nomine, in lucem edi curavit R. adm.

P. F. FRANCISCUS VAN HUELE

Minister Provincialis.

GANDAVI,

Typis Maximiliani Graet. 1664.

EPISTOLA

VNIVERSIS FRATRIBVS ORDINIS MINORVM

S. FRANCISCI

Per universum terrarum orbem Domino famulantibus

F. PETRVS MANERO

Totius ejusdem Ordinis Minister & servus spiritum Regulæ & ejus observantiam.

Dilatato jã Ordine in sui exordio mandaverat in visione nocturna S.mo P. N. FRANCISCO spirituum ponderator Deus, ut (referente S. (1) Bonaventurâ) micas panum subtilissimas, quæ manibus ob tenuitatẽ excidere videbãtur, recolligeret; *& de micis omnibus hostiã faceret, & manducare volentibus tribueret*: fecit, composuit, distribuit; hoc quidem eventu: Ut, *Quicumque illud*

(1) Bonav. Vitæ S. Franc. c. 4.

illud non devotè recipiebant aut receptum contemnebant donum, mox leprâ infecti notabiles apparebant. Hæc hostia in mysterio fuit cælestis illa Fratrum Minorum Regula ab *Honorio III.* confirmata, ex micis S. Evangelii, divino dictamine, divinâ arte inter manus Seraphici Patris in monte *Palumbo* conscripta. *Micæ* enim præteritæ noctis (interprete voce ad illum de cælo delapsâ) verba Evangelica sunt; *Hostia*, Regula; *Lepra*, iniquitas: Hæc fuit Regula, quam verè vt *librum vitæ, spem salutis, arrham gloriæ, medullam Evangelii, viam Crucis, statum perfectionis, clavem paradisi, pactum fœderis æterni*, Legis-lator accepit & sequacibus suis tradidit; quamque inter manus successorum suorum Ministrorum deposuit, ut fideliter conservatam, *Ad litteram, ad litteram, ad litteram, sine glossa, sine glossa, sine glossa*, fratribus observandam distribueret. Verùm quod in Evangelicam litteram, purissimo divini frumenti adipe, perfidus fermentator non rarò attentavit, hoc ipso in *Hostiam* illam ex micis Evangelicis compositam attentâsse sæpiùs filii S. Patris ingemuerunt, deprehendentes *modico fermenti*, sive humanæ sapiêtiæ, sive superstitiosæ observationis, sive etiam *malitiæ & nequitiæ*, primæ *Hostiæ* massam si non corruptá, pravo tamẽ odore & insipido sapore infectam; quam idcircò vel infirmus animæ stomachus, vel infectus gustus refugiebat, ita ut nativa dulcedo suavissimi edulii, vt olim (1) *Israëlis*

(1) Num. 11. 8.

ctis manna in *panis oleati* saporem conversa esset. (1) Quod enim filiis Prophetarum aliquando contigerat, immissas scilicet colocynthidas vitis silvestris in pulmentum amaritudinem mortis induxisse: Hoc ipsum evenisse in Regula Fratrum Minorum videbatur. Interpretes enim nō nulli opinionum suarum calore, ex Regulæ substantia, pulmentum ad omnium gustum parare volentes, speculationum humanarum colocynthidas immiscuerant, ita vt mortem in olla veri observatores inclamarent.

Monitus igitur (dilectissimi Fratres) ab Apostolo in persona *Timothei* (2) *Depositum custodire, ac profanas vocum novitates & oppositiones falsi nominis scientiæ devitare:* Monitus ab eodem (3) *Expurgare vetus fermentum ut* restituatur *nova conspersio:* Idemque omnes exhortetur (4) *Epulari in azymis sinceritatis & veritatis*: Hanc credidi non modicam partē solicitudinis meæ pastoralis, vt à Ministerio mihi concredito non priùs recederem, nisi *Hostiam* illam Regulæ nostræ quam Spiritus S. digitis benè pistam nobis B.^mus Patriarcha & legis-lator noster reliquit, ab omni fermento expurgatam vobis redderem, & ab omni amaritudine pulmentum sanctum vendicarem. Quod quidem feliciter me facturum credidi, si ad conditorem Regulæ recurrerem, & ex dictis, factis & exemplis S.^mi Patris velut ex purioris farinæ mi-

(1) 4 Reg. 4. 39. (2) 1. Tim. 6. 20.
(3) 1. Cor. 5. 7. (4) Ibid. v. 8.

micis medicinalẽ alteram *Hostiã* primæ adjungerem, ac dissectis *Hostiæ* primæ particulis singulas ab ementito sapore purgatas, primæuæ suæ substantiæ & dulcedini redderem, eas omnes à mente, ore & opere Legis-latoris resumendo, & more Prophetæ ingrato malorum coquorum pulmento, primæ, purgatissimæ, sapidissimæ farinæ condimentum immittens, ab omni amaritudine illud liberarem....

Audite igitur, Filii, Seraphicum Patrem, cui velut olim *Moysi*, tabulæ cælestis hujus Regulæ primitùs traditæ sunt: Audite vocem Patris vestri; videte manus, pedes & opera; ruminate doctrinæ & vitæ exempla in hac sua expositione recensita. Illius enim pectori *Doctrinam & Veritatem* inscripsit is, qui ejus corpori sacra sua stigmata impressit. Hæc S. P. N. expositio, lapis lydius erit contra omne aurum Chymicum; Panis sanctus contra omne maleficium; Verba sacra contra omne fascinum. Hanc vobis intemeratam & omni diligentiâ compositam velut S.mi Patris pallium à recedente ad superos relictum, ego ipse ab hoc Ministerio abiens restituo, vt sit memoriale sempiternum, & signaculum eorum qui ad *Seraphicũ ouile* pertinebũt, si nimirùm *Vocẽ illius* vivâ in hoc libello expressâ, & non alienorũ audiant. Alienorũ vox est (ipso in Testamento suo protestante) dicere, *Ita voluit intelligi*. Vox autẽ veri Pastoris est: *Vt sicut dedit illi Dominus purè & simpliciter dicere & scribere, ita simpliciter & purè intelligatis, & cum san-*

cta

cta operatione observetis usque in finem; remunerandi in cælo *benedictione Patris cælestis, & in terra benedictione dilectissimi Filii sui cum sanctissimo Spiritu Paracleto, & omnibus virtutibus cælorum & omnibus Sanctis*. Quam sanctissimam benedictionem ab ipso intùs & foris confirmatam, mihi & vobis apprecor in æternum, Amen.

Omnium vestrûm

Indignus Minister & Servus,

F. PETRUS MANERO.

REVERENDISSIMO
IN CHRISTO PATRI

TOTIUS ORDINIS MINORUM
MINISTRO GENERALI.

REVERENDISSIME PATER,

IGNEM illum quem Vnigenitus Dei & Virginis Filius, Chriſtus JESUS Dominus noſter (1) venit mittere in terrã, & quẽ voluit accendi, accendit ipſe vehementer, primùm quidem in cordibus Apoſtolorum & Diſcipulorum ſuorum, quos exemplariter & verbaliter, ad Evãgelicæ perfectionis apicem & divinum eſt cohortatus amorem; qui taliter accenſi, non ſul

mo-

(1) Luc. 12. 49.

modio manserunt, sed supra Ecclesiæ candelabrum positi, non luxerunt tantùm quod vanum; nec arserunt solùm, quod parum; sed simul & luxerunt & arserunt, quod perfectum; & sic ardendo sibi, lucendo aliis, gelida hominum corda, amoris divini flammâ accenderunt. Hinc in Ecclesia sancta Dei tanta & tam vehemens exorta est charitatis flamma, quam nec tentationum procella, nec tribulationum aquæ, nec persecutionum fluctus vmquam potuerunt extinguere; verùm, quod mirabile dictu, accenderunt magis.

Postquam autem dormitionem mortis acceperant Apostoli, cùm negligentiùs agerent Ecclesiæ Præpositi, cùm dormitarent homines sopore gravi, imò jam frigescente mundo, sæculo planè corrupto, desolato, infelici, quo ipsa Ecclesia Dei, columna veritatis, labi quasi videbatur; missus est in mundum alter Apostolus & Apo-

Apostolicæ vitæ instaurator, visus est in terris alter Angelus, habens signum Dei vivi; natus & datus est hominibus alter Christus, Christum hominibus repræsentans; Apostolicus inquam, Seraphicus & Christi signifer FRANCISCVS, qui opere, exemplo & doctrinâ Christi repararet Ecclesiam, qui sacris suis Stigmatibus frigida hominum corda divini amoris flammâ succenderet: Teste enim D. Bonaventurâ: (1) *Totus quasi quidam carbo ignitus, divini amoris flammâ videbatur absorptus*: Quæ omnia terrena ita in ipso consumpserat, vt mundo, carni ac sibi mortuus soli viveret Deo, clamans indesinenter: *Deus meus & omnia*. Nec solùm ardebat sibi, sed & mundum vniversum eo charitatis igne, quo ipse ardebat, studuit accendere; eos tamen specialiter, qui cœperunt ipsius exemplo ad pœnitentiam animari, & eidem, rejectis omnibus, habitu vitâ-

é quæ

(1) Bonav. vitæ S. Franc. c. 8.

que conjungi, quos verbis inflammantibus & factis ardentibus ita accendit, vt & ipsi posteà mundum illustraverint & accenderint vniversum: tales fuerunt primi ipsius filii & discipuli, aliique eorum sequaces & veri Regulæ zelatores, quos omni tẽporum ætate benignissimus Deus providit, qui S. P. N. FRANCISCO promiserat Ordinem suum in finem vsque mundi duraturũ, ita vt aliis ruentibus alii surgerẽt, qui ruinas Ordinis repararẽt, & spiritum extinctum resuscitarent & reaccenderent.

Hoc sancto zelo etiam accensi potissimùm fuerunt & Ordini luxerunt vniverso RR. PP. Ministri Generales S. P. N. FRANCISCI in officio successores; inter quos nullus ad hæc vsque tempora, in supremo illo Generalatus officio toleratus fuit, qui Regulam non servaret, ejusque observantiam sanctam in aliis quoque non zelaret.

Inter quos noſtrâ ætate non parùm luxit & eluxit prædeceſſor Tuus R.mus P.F.*Petrus Manero* piæ memoriæ, vir vtique meritis & doctrinâ in Ordine clarus & memoriâ æternâ dignus; qui, vt cætera taceam, ad Generalatus evectus officium et ſupra candelabrum totius Ordinis poſitus, vt ſibi arderet, aliis luceret, ac Ordinem vel ſervaret ſtantem vel erigeret collapſum; vt ſibi proficeret, aliis proſpiceret, ab ipſo electionis ſuæ exordio in eo omnem cordis ſolicitudinem appoſuit, qualiter Regulam promiſſam et ſervaret puriùs et ſervari curaret perfectiùs; ac per omnia ſe ſuoſque Apoſtolicæ rectitudinis Regulæ coaptaret: hinc cæpit voluere varias Regulæ expoſitiones; verùm probè ſciens illam eſſe veriorem, certiorem tutioremque, quæ menti ipſius Regulæ fundatoris eſt conformior, illius præcipuè Patris Seraphici, cujus omnis vita, cujus omnis converſatio et

doctrina viva regula fuit, vitâ hanc cæpit die ac nocte meditari, cum Regula scripta conferre, et sedulò disquirere qualiter eam ipse servaverit et servandam docuerit; quæ, non obstantibus gravissimis et continuis officii sui curis, primùm quidem sibi non sine multo labore collegit, collecta annotavit, annotata, vt aliis quoque sibi subditis et Ordini vniverso proficerent, in ordinem digessit concinnavitque, et opusculo hoc complexus est, quod intitulatur, *Expositio Regulæ Fratrum Minorum ab ipso Seraphico Patre nostro S. FRANCISCO ejusdem Legis-latore verbis, factis, exemplis tradita.*

Quod opusculum, velut thesaurum absconditum, inter chartas R.P. F. *Petri Marchantii* jam defuncti, Provinciæ hujus nostræ ac totius Ordinis Patris optimè meriti, nec non Cōmissarii Generalis nationalis &c. reperiens, nec ignorans huc in Belgium transmissum in ordine ad

prælum

prælum, quo illud dignissimũ censeo; ne R.[mi] illius Patris circa hoc defraudetur intentio, & ne incurram maledictionem illam à Spiritu sancto comminatam ei (1) *Qui frum nta abscondit in populis*; quod invêni in abscondito, in medium totius Orbis & Ordinis, ac celeberrimo ejusdem Capitulo Generali exultabundus profero: reddo Ordini quod Ordinis est, quod ab ipso Ordinis nostri Fundatore sancto dictis & factis Ordini traditũ est; juris publici facio, quod ab ipsius successore legitimo pro Ordine elucubratum est: profero Ordinis filius, quamvis indignus, Patris mei hereditatem inventam, eamque sine invidia aliis fratribus meis communico, ut singuli inde accipiant, unde & in spiritu proficiant.

Accipe igitur R.[me] Pater expositionem hanc Regulæ nostræ ab ipso S. P. N. FRANCISCO traditam, à prædecessore Tuo elabo-

(1) Prov. 11. 16.

elaboratam, & à me filio tuo minimo congratulando oblatam; neque enim cuipiam aut digniùs aut congruentiùs illam offerre possum, quàm Tibi, qui hodie totius Ordinis summo consensu, in successorem ejus es electus; cui etiam competit puram ejus observantiam intimè zelare, & modis omnibus urgere.

Vivat proinde in Te spiritus ille Seraphicus, floreat per Te Ordinis disciplina, Tuo munere Regulæ nostræ sanctissimæ puritas inviolata servetur, violata restauretur; hoc à Te hodiernâ die solicitè expectat, hoc in Te ardenter exoptat, hoc à Te supplex postulat Ordo universus, qui Te hodie inspirante Spiritu sancto elegit & segregavit in opus Ministeriatus hujus, in verùm successorem S. P. N. FRANCISCI, ut sub tali Patre, Rectore ac Duce, (1) *Regulam quam Domino promisimus, meliùs Catholicè observemus; ut* (2) *subditi & subiecti pedibus ejusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, stabiles* in

(1) Testam. S. Franc. (2) Regulæ c. 12.

in fide Catholica, paupertatem & humilitatem, ac sanctum Evangelium Domini nostri IESV Christi, quod firmiter promisimus observemus. Ita exopto

Reverendissime Pater

Rev. Paternitatis Vestræ

Minimus filius

F. FRANCISCVS VAN HUELE
Provinciæ Comitatus Flandriæ S. Iosephi FF. Minorum Recol. Minister Provincialis.

APPROBATIONES
THEOLOGORUM ORDINIS.

EX commissione adm. R.P. Ministri Provincialis, legi hanc *Expositionem Regulæ FF. Minorum ab ipso Seraphico Patre nostro S. FRANCISCO ejusdem legislatore, verbis, factis, exemplis traditã; operâ, studio, solicitudine* R^mi^. *P. F.* Petri Manero *totius Ordinis Minorũ Ministri Generalis concinnatam & ad universos totius orbis fratres pro puriori illius observantia transmissam:* quæ reverà eodem est spiritu concinnata quo olim Seraphico Patri dictata. Proinde divino quodam jure publicam lucem, quâ dignissima est, postulat: utique primum illum observantiæ spiritum Seraphicum in ejusdem veris zelatoribus resuscitatura. Sic sentio & opto. Datum in Conventu FF. Minorum Recollectorum Gandavensi 23. Dec, 1663.

F. ALEXIUS de LANNOY S.T. Lector Iubilatus & actualis ac Provinciæ S. Ioseph Comitatus Flandriæ Recollectorum Diffinitor.

DE *Mandato R. adm. Patris Ministri Provincialis attentè perlegi librum (cui Titulus:* Expositio Regulæ FF. Minorum ab ipso Seraphico Patre nostro FRANCISCO ejusdem legis-latore, verbis, factis, exemplis tradita, operâ, studio, solicitudine R.[mi] Patris F. *Petri Manero* totius Ordinis Minorum Ministri Generalis concinnata) *Et nihil in eo nisi totum Catholicum & Apostolicum inveni; ut proinde statim mihi occurrerit illud* Prov. 12. v 8 Doctrinâ suâ noscetur vir: *verba enim illius expositionis adeò sunt virtute Spiritus sancti plena & medullas cordis penetrantia, ut dubium non sit quin ex fornace charitatis spiritus illius Seraphici prodierint. Non restat igitur aliud, quàm juxta monitum* Salomonis *(a) audire disciplinam Patris nostri, ut (b) suscipientes insitum verbum quod potest salvare animas nostras, non tantùm auditores verbi, sed factores illius inveniamur. Datum in Conventu nostro Gandensi* FF. *Minor. Recollect.* 8. *Kalendas Ianuarii* 1663.

F. *ALPHONSVS COENE,*
S. T. Lector.

(a) Prov. 1. 8. (b) Iac. 1. 21.

APPROBATIO
ORDINARII.

REgula S. P. *FRANCISCI*, verbis ipsius Legislatoris explanata, utiliter ad illius exactiorem observantiam prælo subjicietur. Datum Gandavi 19. Decembris 1663.

I. GILLEMANS Can. & Pœnit. & Lib. Censor.

PRIVILEGIUM CÆSAREUM.

Super impreſſione librorum Auctorum Ordinis *S. FRANCISCI* regularis & ſtrictioris obſervantiæ.

PRivilegio Cæſareæ Majeſtatis *cautum eſt: Ne quis per univerſum Imperium libros à Patribus Ordinis S. FRANCISCI regularis & ſtrictioris Obſervantiæ editos aut edendos imprimat, recudat aut alibi recuſos intra ſacri Imperii, Regnorumque ac Dominiorum hereditariorum* Domus Auſtriacæ *adducat, vendat, vel diſtrahat abſque conſenſu & facultate eorumdem Patrum, ſub pœna confiſcationis librorum & mulcta viginti marcharum auri puri. Ita ſancitum & decretum in Civitate Ratiſponenſi pridiè nonas Decembris, Anno* 1636.

Signatum

FERDINANDUS.

Infrà:

Ad mandatum S. Cæſ. Majeſtatis proprium

JOANNES WALDERODE

A latere: D. H. A. Stralendoorff.

PRIVILEGIUM CATHOLICÆ MAJESTATIS.

SImile Privilegium conceſſum eſt iiſdem ejuſdem Ordinis Patribus à Majeſtate ſua Catholica pro omnibus locis & dominiis ſibi ſubjectis ſub pœna confiſcationis librorum aut tractatuum ab ipſis compoſitorum; prout latiùs patet ex litteris deſuper datis Bruxellis 24. May 1660. Parap. Ho. Vt. ſignat. DE GOTTIGNIES.

EXPOSITIO REGVLÆ Fratrum Minorum

Facta à Seraphico Patre nostro

FRANCISCO

Ejuſdem Legiſlatore.

CAPVT PRIMVM.

REGVLA & vita (1) Minorum (2) Fratrũ hæc eſt: Scilicet Domini noſtri IESV Chriſti ſanctum Evangelium obſerva-

 re

(1) Nomen *Minorum* habetur *Matth.* 25. 45. Quamdiu non feciſtis uni de minoribus his.

(2) Nomen *Fratrum* habetur *Matth.* 28. 10 Nunciate fratribus meis

re, viuendo in (3) Obedientia, Sine (4) proprio, & in (5) Castitate, Frater FRANCISCVS promittit obedientiam & reverentiam Domino (6) Papæ HONORIO, ac successoribus ejus (7) canonicè intrantibus, & Ecclesiæ (8) Romanæ. Et alii fratres teneantur fratri FRANCISCO & ejus successoribus obedire.

Summaria

(3) *Obedientia* habetur *Matth.* 16. 24 Si quis vult venire post me, abneget semetipsum.

(4) *Sine proprio* habetur *Matth.* 19. 21. Si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes.

(5) *Castitas* habetur *Matth.* 19. 11. Sunt Eunuchi qui seipsos castraverunt.

(6) *Obedientia debita Pontifici* habetur *Matth.* 16. 16. Tu es Petrus & super hanc petram &c. & *Ioann.* 22. 17. Pasce oves meas.

(7) *Obedientia debita legitimis successoribus* habetur *Ioann.* 10. 1. Qui non intrat per ostium, hic fur est.

(8) *Obedientia debita Romanæ Ecclesiæ* habetur *Luc.* 22. 32. Ego rogavi pro te, ut nõ deficiat fides tua.

SUMMARIA EXPOSITIO Hujus Capitis.

IN hoc Capite est unum præceptum universale, nempe, quòd Regula & vita Fratrum Minorum sit sanctum Euangelium observare, in his quæ in ipsa de S. Euangelio sunt expressa. Insuper sunt tria generalia præcepta. *Primum*, vivere in Obedientia. *Secundum*, Sine proprio. *Tertium*, in Castitate. Deinde sunt alia tria generalia præcepta eminentia. *Primum*, reddere obedientiam & reverentiam Dño Papæ præsenti. *Secundum*, successoribus ejus canonicè intrantibus. *Tertium*, Ecclesiæ Romanæ. Denique est aliud mandatum habens vim præcepti; videlicet quod fratres teneantur fratri *Francisco*, & ejus successoribus obedire. In hoc Capite includuntur ferè omnia essentialia totius Regulæ.

DECLARATIO

Hujus Capitis, facta à S. P. N. Francisco.

Regula & vita Minorum Fratrum hæc est: Scilicet Domini

IESV Christi sanctum Euangelium obseruare.

ARTICVLVS I.

An Regula Fratrum Minorum inter instituta Regularium sit specialis, & ab aliis Regulis distincta?

CArdinalis Ugolinus *primus Protector Ordinis & posteà* Gregorius IX. *intimus familiaris S. FRANCISCI dum Regula construeretur B. Patrem hortabatur* (*suggestione fratrum*) *ut leniret austeritatem Regulæ juxta normam instituti* S. Augustini, *aut* S. Benedicti. *Tum versus S. FRANCISCVS ad Fratres qui Cardinalē stimulabant dixit*: (1)Fratres mei, Dominus vocavit me per viam simplicitatis & humilitatis, & hanc mihi pro me & pro illis qui mihi volunt adhærere, in virtute ostendit; nolo igitur, quòd mihi nominetis

(1) Pisanus Lib. I. Conform. Cap. I. & 2.

minetis servandam Regulam *S. Benedicti*, *Basilii*, aut alterius, præter illam quam mihi diuina misericordia donavit & ostendit. Ipse Dominus dixit mihi: se velle me suũ fatuellum esse in hoc mundo;& me meosque nolle per aliam viam ducere ad cælestem patriam quã per istam; quæ licèt hominibus stultitia videatur, apud Deum tamẽ pro magna reputatur sapiẽtia. Timeo, ne vestra sapiẽtia & sciẽtia posthac vobis convertatur in ignorantiã & confusionẽ.

Posteà Honorius III. *tenorem Regulæ recognoscens, antequàm ipsam confirmaret, monuit Seraphicum Patrẽ ut aliquas austeritates Regulæ temperaret, quia sibi nimis ardua videbatur. Cui immẽsá humilitate & fervore* S. FRANCISCVS *resp:* (1) Ego (beatissime Pater) præcepta, aut verba illa in Regula non posui sed Christus, qui omnia utilia & necessaria saluti animarum ac fratrum, & bono statui & cõversationi Religionis meliùs omnibus novit; cuique omnia, quæ ventura sunt in Ecclesia & Religione nostra, præsentia

(1) Coll. 9.

 sunt

sunt & patent. Non ergo debeo, nec possum Christi verba mutare aut omninò abolere. *Ex quibus patet, quòd ista Regula est distincta ab aliis, & particulare institutum.*

Rogas I: *An liceat Superioribus Generalibus minuere vel mutare aliquid de ista Regula. etiam prætextu majoris perfectionis?* Respōdet B FRANCISCVS: (1) In nomine Dei omnipotentis rogo omnes fratres, ut addiscant tenorē & sensum eorum quæ in ista vita ad salutem animæ nostræ scripta sunt, & ista frequenter ad memoriam reducant. Et exoro Deum, ut ipse qui est omnipotens, Trinus & Vnus, benedicat omnes docentes, addiscentes, recordantes & operantes ista, quoties repetunt quæ ibi ad salutem nostrā sunt scripta. Et deprecor omnes cum osculo pedum, ut multùm diligant, & custodiant, & reponant. Et ex parte Dei omnipotentis & Domini Papæ, & per Obedientiā ego FRANCISCUS firmiter præcipio & injungo, ut ex his quæ in-

1) In exhortat. ad finem 1. Reg.

in ista vita scripta sunt, nullus minuat vel in ipsa scriptum aliquod desuper addat; nec aliam Regulam fratres habeant. *Alio in loco dixit S.FRANCISCVS:*(1) Væ illis Prælatis qui mihi sunt contrarii, quos Dei voluntati repugnare liquidò mihi constat, licèt invitus quibusdam condescendam. Dolor mihi est & afflictio magna, quòd ea quæ per magnum orationis & meditationis laborem à Domino per suam misericordiam obtinui, & quæ in magnam totius Religionis & fratrum præsentiũ & futurorum utilitatem redundant, quidam ex Superioribus auctoritate suâ, & mundanæ scientiæ providentiâ evertere conantur, dicentes: Ista sunt tenenda, quæ ego contemnenda puto; & quæ servare iubeo, tamquam inania & negligenda despiciunt.

Rogas II. *An omnia consilia, quæ sunt in Evangelio cadant sub præceptum; quandoquidem*

(1) Colloq. 13.

S.P. *dicat*: Regula,& vita Minorum Fratrum hæc est, Scilicet sanctum Evangelium observare? *Respondetur, quòd ad nullum consilium S. Evangelii teneantur fratres, nisi ad illa quæ tenore præcepti in ipsa Regula sunt expressa: consilia autem quæ ibi præcipiuntur, debent inviolabiliter observare; & ideò dixit S. FRANCISCVS tergiversantibus Provincialibus*:(1) Putāt fratres Ministri Deū,& me decipere? Imò ut sciant omnes fratres se teneri ad observandam perfectionem S. Evangelii, volo ut in principio & in fine Regulæ sit scriptum, ut fratres teneantur sanctum Evangelium Domini nostri JESU Christi firmiter observare; & ut fratres semper sint inexcusabiles, ex quo ipsis annunciavi & annuncio, quæ Dominus pro salute mea & ipsorum posuit in ore meo.

Rogas ultimò: *Quomodò hæc Regula, quatenùs est specialis norma vivendi, debet definiri? Respondet S. FRANCISCVS*:(2) Fratres mei,& filii

(1) In Specul. (2) In laudib. 2. Reg.

filii charissimi, præclarè nobiscũ actũ est in concessione hujus Regulæ: hæc enim quæ nobis proponitur, liber est vitæ, spes salutis, arrha gloriæ, medulla Euangelii, via Crucis, status perfectionis, clauis paradisi, pactum æterni fœderis. Nemo vestrûm est, qui ignoret quantum emolumenti conferat nobis sacra Religio; cùm colluctator & adversarius noster ad omnes dolos vel captandos vel explicandos mirus sit artifex, atque omnia quæ nocere possunt pro laqueis habeat; vnde quàm pluros (nisi Religionis beneficio muniti essent) in summum discrimen adduxisset. Hanc ergo vestram Regulam scitote omnes in alleviationem tædii, & in memoriam præstiti juramenti; cum interiori homine de ea confabulamini cum intentione eam adimplendi, semper præ oculis portate, imò & cum ipsa debetis mori.

Deinde ut viam arduam Regulæ ferventiori spiritu

ſpiritu aggrederentur fratres, hâc voce eos provocavit Dux Seraphicus: (1) O dilectisſimi fratres! & in æternum benedicti filii audite me, audite vocē Patris veſtri. Magna promiſimus, majora promiſſa ſunt nobis. Servemus hæc, ſuſpiremus ad illa. Voluptas brevis, pœna perpetua. Modica paſſio, gloria infinita. Multorum vocatio, paucorum electio, & omnium erit retributio. Amen.

Demùm in tranſgreſſores Regulæ hanc horribilem maledictionem imprecabatur dicens: (2) A te ſanctiſſime Pater, & à tota cæleſti Curia, & à me pauperculo ſint maledicti, qui ſuo malo exemplo confundunt & deſtruunt, quod per ſanctos fratres hujus Ordinis ædificâſti; & ædificare non ceſſas.

ART-

(1) Firmam. 1. p. fol. 17. Opuſc. Colloq. 33 fol 440.
(2) Bonaven Cap. 8. Legen. Opuſcul. Benedic. 3. fol. 492.

Vivendo in Obedientia, Sine proprio, & in Caſtitate.

ARTICVLVS II.

De natura virtutum Obedientiæ, Paupertatis & Caſtitatis, quas Fratres Minores vovent in ſolemni profeſſione.

AD *imitationem Chriſti Domini vult S. Pater ſuos fratres inſigniri præcipuè harum virtutum charactere dicens:* (1) Imitatores Chriſti eſtote in Paupertate, Obediētia & Caſtitate. Dominus enim JESUS Chriſtus pauper natus eſt, pauper vixit, paupertatem docuit, & cum paupertate deceſſit; & ut oſtenderet ſe diligere caſtitatem, de Virgine naſci voluit: Virgines milites

(1) In Opuſcul. Col. 23.

milites innocentes præmisit, virginitatē consuluit & servavit, inter virgines ex hac vita migravit. Obedientiam etiam à suo ortu usque ad mortem Crucis adimplevit.

Naturam istarum virtutum optimè definit S. P. dicens: (1) Obedientia est fidei opus, probatio veræ spei, argumentum charitatis, mater humilitatis, & genitrix pacis Dei, quæ exsuperat omnem sensum. (2) Vera Paupertas est radix Obedientiæ, mater renuntiationis, mors propriæ complacētiæ, extirpatrix vanitatis, & cupiditatis. *Et Alibi*: (3) Paupertas est illa virtus per quā terrena, & transitoria calcantur, per quam omnes obices è medio tolluntur, dum per illam æterno Domino mens humana conglutinatur. Hæc est quæ Christum in Cruce sociat, Cum Christo in tumulo absconditur, cum Chri-

(1) In Opuscul. Oracul 27. fol. 515.
(2) Iacobus Odd. de Perus. in Prolog. 2.
(3) Opuscul. Oracul. 26. fol. 515.

Christo de sepulchro resurgit, & Christum comitatur in cælũ. Hæc est quæ dotem agilitatis super cælos volãdi animabus ipsam amantibus etiã in hac vita concedit, cùm veræ humilitatis & charitatis arma custodiat.

(1) Castitas est sanguis congelatus halitu fidei, spiritu spei, & ardore charitatis, quæ renuit confligere cum carne mortua, & triumphat de carne viua.

ROGAS I. Quomodò obtinenda est perfecta obedientia? Respondet S. FRANCISCVS. (2) Fratres charissimi verbũ primò præceptum implete, & ne expectetis iterari quod dicitur vobis. Nihil etiam impossibilitatis judicetis esse in præcepto; quia etsi supra vires ego vobis mandarem, sancta Obedientia viribus non carebit. Nec considerare debetis, quis vel qualis sit qui vobis facienda præcipit, sed solùm quòd sit Prælatus. Inter alia, quæ dignanter diuina pietas mihi concessit, hanc gratiam contu-

(1) Marian. l. 1. c. 25. (2) In Opusc. col. 4. fol. 234.

lit, quia ita diligenter Nouitio unius horæ obedirem si mihi Guardianus daretur, sicut antiquissimo & discretissimo fratri. Subditus Prælatum suum non hominem considerare debet, sed illum pro cujus amore est subjectus. Quantò enim contemptibilior præsidet, tantò magis humilitas obedientis placet.

ROGAS II. *Quot sunt fructus Paupertatis? Respondet* S. P. (1) Paupertatem noveritis (Fratres charissimi) virtutum esse Reginam: quia in Rege regum, & in Regina Matre ipsius tam præstáter effulsit. Paupertatem scitote, Fratres, specialem viam esse salutis, tamquam humilitatis fomentum perfectionisque radicē, cujus est fructus multiplex, sed occultus. Hæc enim est Euangelici agri thesaurus abscōditus, pro quo emendo vendenda sunt omnia; & quæ vendi non possunt, illius comparatione spernenda. Ad hujus culmen qui cupit attingere, non solùm mundanæ prudētiæ, verùm

(1) In Opuscul. coll. 5. fol. 235.

verùm etiam litterarum peritiæ renuntiare quodammodò debet,ut tali expropriatus possessione introeat in potentias Domini,& nudum se offerat brachiis Crucifixi. Nequaquá enim sæculo perfectè renuntiat, qui proprii sensus loculos intra cordis arcana reservat. In omnibus ergo reluceat inter vos sancta Paupertas, & præcipuè in domibus quas ædificaveritis, considerantes illud Euangelicū, (1)quòd vulpes foueas habét & volucres cœli nidos. Filius autem hominis,non habuit ubi caput suum reclinaret.Propter quod pauperum more pauperculas casulas erigite, quas non habitare debetis ut proprias,sed sicut peregrini & advenæ alienas. Leges namque peregrinorum sunt, sub alieno colligi tecto, sitire ad patriam, pacificè pertransire.Euágelica hæc paupertas nostri Ordinis est fundamentum, cui substrato primariè sic omnis structura Religionis innititur, ut ipsius firmitate firmetur

(1) Matth. 8. 20.

& everſione funditùs evertatur. Quantũ itaque fratres declinabunt à paupertate, tantùm mundus declinabit ab eis, & quærent & non invenient. Si Dominam meam Paupertatem complexi fuerint mundus eos nutriet, quia mundo dati ſunt ad ſalutem. Commercium eſt inter mundũ & fratres. Debent enim ipſi mundo bonum exemplum, debet eis mundus proviſionem neceſſitatum; quando autem ipſi retraxerint bonum exemplum fide mentitâ, retrahet mundus manum juſtâ cenſurâ.

ROGAS III. *Quomodò eſt cuſtodienda Caſtitas? Reſpondet* S. FRANCISCVS: (1) Mulierum familiaritates, colloquia & aſpectus, quæ multis occaſio ſũt ruinæ, eò ſollicitiùs euitare debemus, Fratres chariſſimi, quò ſæpiùs per hujuſmodi videmus debilem frangi & fortem ſpiritum infirmari. Harum contagionem euadere converſantem cum eis, niſi probatiſſimum virum, tàm facilè judico

(1) In Opuſcul. coll, 6. fol, 237.

dico, quàm juxta Scripturam in igne ambulare & non cōburere plantas. Nō enim securum puto earum formarum introrsùs haurire imagines, quæ possunt aut edomitæ carnis resuscitare igniculū, aut pudicæ mentis maculare nitorem. Frivolū profectò est quodcumque mulieris colloquium, exceptâ solâ confessione vel instructione breuissimâ, juxta quod saluti expedit vel congruit honestati. Quæ sunt, quæso, cum muliere Religioso tractanda negotia, nisi cùm sanctam pœnitentiam vel melioris vitæ consilium Religiosâ petitione deposcit? Ex nimia securitate minùs cavetur hostis; & diabolus si de suo capillum potest habere in homine, citò excrescere facit in trabem. Nec enim solùm mortificari debent vitia carnis, aut ejus incentiua frænari, verùm etiam exteriores sensus per quos mors intrat ad animam, summâ vigilantiâ decet custodire.

 Frater

Frater FRANCISCVS promittit Obedientiam Dño Papæ HONORIO ac successoribus ejus canonicè intrantibus, & Ecclesiæ Romanæ.

ARTICVLVS III.

Quam reverentiam debent habere Fratres Minores erga omnes personas Ecclesiasticas?

ORDO *Ecclesiasticus coalescit ex* Capite *Ecclesiæ* Romanæ, *scilicet summo* Pontifice *qui supremum* Caput *est Ecclesiæ*, *Vicarius Christi Domini & successor* S. Petri: *ex Episcopis, qui successores sunt Apostolorum, & ex aliis* Prælatis *&* Clericis, *qui aliorum discipulorum vices gerunt, quos omnes* S. Pater *præcipit præ cunctis revereri. Quarè cùm in extremis ageret rogatus à fratribus ut aliquod memoriale ipsis relinqueret suæ voluntatis*

tatis dixit: (1) Vocate mihi fratrem *Benedictum*, (*quo accersito*) *ait*: Scribe Sacerdos Dei, qualiter benedico omnibus fratribus meis qui modò sunt in Religione, & qui venturi sunt usque ad finem sæculi. Quoniam propter infirmitatem meam loqui non valeo, breviter voluntatē meam & intentionem in signum memoriæ meæ benedictionis & testamenti cunctis fratribus præsentibus & futuris patefacio. Fratres semper se diligāt ad invicem, sicut ego dilexi, & diligo illos. Semper diligant & observent dominam meam Paupertatem & semper Prælatis & Clericis sanctæ Matris Ecclesiæ fideles & subjecti existant. Benedicat & custodiat eos Pater, & Filius, & Spiritus sanctus Amen.

Prætereà commendat fratribus omnem statum Ecclesiasticum dicens: (2) Omnes fratres sint Catholici, vivāt & loquantur Catholicé. Si quis verò erraverit à fide & vita catholica in dicto vel in facto, & non se emendaverit,

(1) Op. Bened. 5. f. 493. (2) Op. 1. Reg. c. 19. f. 142.

daverit, à nostra fraternitate penitùs expellatur. Et omnes Clericos & omnes Religiosos habeamus pro dominis, in his quæ spectant ad laudem animæ & à nostra Religione non deviant, & ordinem & officium eorum & administrationem in Domino veneremur.

Obsequium erga Episcopos ostendit dicens: (1) Tenemur ergo Episcopos quantum possumus diligere, honorare & venerari. Ideò vocantur Fratres Minores, ideò Fratres Minores, quia sicut nomine, ita & exemplo & opere præ cæteris hominibus hujus sæculi humiles esse debent. Et quia ab initio meæ conversionis posuit Dominus in ore Episcopi Assisii verbum suum, ut mihi benè consuleret & sapienter cōfortaret in servitio JESU Christi: propter hoc, & alia multa excellentiora quæ in Prælatis considero, non tantùm Episcopos, sed & pauperculos Sacerdotes diligere volo & venerari, & pro dominis meis

(1) Pisan. lib. 1. Conform. 12. cap. 23. Spec. cap. 10

meis revereri.

Reverentiam erga Clericos suadet his verbis: (1) In adjutorium Clericorum missi sumus, Fratres charissimi, ad animarum salutem; ut, quod in illis invenitur minus, suppleatur à nobis. Quilibet recipiet mercedem, non secundùm auctoritatem, sed secundùm laborem. Scitote fratres, quòd Deo est gratissimum animarum lucrum. Hoc consequi melius possumus cum pace Clericorũ, quàm cum discordia. Si autem ipsi salutem impediunt, Dei est ultio, & ipse retribuet eis in tempore. (2) Ideoque estote subjecti Prælatis, ne quantum ex vobis est, malus zelus consurgat. Si filii pacis fueritis, Clerum & populum lucrabimini: & hoc acceptabilius Deo erit, quàm populum solum, Clero scandalizato, lucrari. Tegite eorum lapsus, multiplices eorum supplete defectus; & cùm hæc feceritis, humiliores estote.

Quæ

(1) Opuscul. Coll. 12. fol. 246. (2) Deuter. 32.

Quæ autem bona spiritualia adveniant fratribus ex obedientia ferverosa erga Romanam Ecclesiam, *exaggerat* S. P. *dicens:*(1) Mater omnium Ecclesiarum, fratres, est Romana, & Domina omnium est Religionum. Vadam & recommendabo fratres meos sanctæ Ecclesiæ, cujus potẽtiæ virgâ percellantur malevoli, & filii Dei in æternæ salutis augmentũ vbique plenâ gaudeant libertate. Recognoscant ex hoc filii dulcia beneficia Matris, & speciali devotione semper ipsius reverẽda vestigia complectantur. Non erit, ipsâ protegente, in Ordine malus occursus, nec filius Belial per vineam Domini transibit impunis. Paupertatis nostræ ipsa S. Ecclesia æmulabitur gloriam, & humilitatis præconia per superbiæ nubilum offuscari nõ sinet. Charitatis & pacis vincula in nobis servabit illæsa, censurâ strictissimâ percutiens dissidentes. Evangelicæ puritatis observantia sacra continuè in ejus aspectu

(1) Opuscul. Collat. 20. fol. 263.

aspectu florebit, nec odorem vitæ vel ad horam elabi patietur.

Hoc autem exactissimæ obedientiæ genus jubet S. Pater solùm deberi Successoribus canonicè intrantibus, *non verò illegitimè intrantibus; quod dixit consequenter ad illam prophetiam in qua prævidit schisma,* & *prædixit* : (1) Viriliter agite, fratres, confortemini & sustinete Dominum. (2) Magnæ tribulationis & afflictionis adesse festinant tempora, in quibus temporaliter & spiritualiter perplexitates & discrimina inundabunt, charitas multorum refrigescet, & superabundabit malorum iniquitas. (3) Dæmonum potestas plùs solito solvetur, nostræ Religionis & aliarum puritas immaculata deformabitur in tantum quòd vero summo Pontifici & Ecclesiæ Romanæ paucissimi ex Christianis vero corde & charitate perfecta obedient. Aliquis non canonicè electus, in articu-

lo

(1) Opuscul. proph. 14. fol. 465.
(2) Chronic. 1. p. lib. 2. cap. 19. fol. 152. (3) Math. 24.

lo tribulationis illius, ad Papatum assumptus, multis mortem sui erroris sagacitate propinare molietur. Tunc multiplicabuntur scandala, nostra dividetur religio, plures ex aliis omninò frangentur, eò quòd non contradicent, sed consentient errori. Erunt opiniones & schismata tot, & tanta in populo & in Religiosis, & in Clero, quòd nisi abbreviarentur dies illi juxta verbum Evangelicum (1) (si fieri posset) in errorem inducerentur etiam electi, nisi in tanto turbine ex immensa misericordia Dei regerentur. Regula & vita nostra tunc à quibusdam acerrimè impugnabitur. Supervenient tentationes immensæ. Qui tunc fuerint probati, accipient coronam vitæ. Væ autē illis qui de sola spe Religionis confisi tepescent, non resistent constanter tentationibus ad probationem electorum permissis. Qui verò spiritu ferventes ex charitate & zelo veritatis adhærebunt chari-

(1) Matth. 24.

pietati tamquam inobedientes & schismatici persecutiones & injurias sustinebunt. Nam persequentes eos à malignis spiritibus agitati, magnum esse obsequium Dei dicent, tam pestilentes homines interficere, & delere de terra. (1) Erit autem tunc refugium afflictis Dominus, & saluabit eos, quia sperauerunt in eo. Et ut suo Capiti conformentur, fiducialiter agent, & per mortem vitam mercantes æternam, obedire Deo magis, quàm hominibus eligent; & mortem, nolentes consentire falsitati & perfidiæ, nullatenùs formidabunt. Veritas tunc à quibusdam prædicatoribus operietur silentio, ab aliis conculcata negabitur. Vitæ sanctitas à suis professoribus habebitur in derisum, quarè dignum non pastorem, sed exterminatorem mittet illis Dominus IESUS Christus.

Idem inculcat in principio & fine Regulæ

 nec

(1) Psalm. 36. 40.

nec non in Testamento, ut tempore schismatis fratres fideliter unirentur Ecclesiæ Romanæ, non verò schismaticis Ecclesiis, aut intrusis Pontificibus.

Et alii Fratres teneantur Fratri Francisco & ejus successoribus obedire.

ARTICVLVS IV.

Qualiter Fratres Minores teneantur obedire Ministro Generali?

S*Vo exemplo rem docuit S. Pater quando sufficit in suum Vicarium Generalem fratrem* Petrum Catancum, *quem in præstanda obdientiæ sic affatus est:* (1) Pater & frater charissime te meum Patrem & Dominum confiteor: tuæ curæ committo tutelam animæ meæ. Tibi tamquam meo Ministro, omnem reverentiam & obedientiam humiliter promitto. Rogo etiam & oro te

(1) Alvarus Pelag. Lib. 2. cap. 79. Bonav. cap. 6.

te per Deum vivum & verum, ut vicem tuam mihi imperandi, & de me curandi vni ex ſociis meis committas, cui in omnibus tuo loco firmiter obediam; nam propter magnum lucrum & meritum obedientiæ, te ſemper Prælatum meum mecum, & coram me ſemper habere deſidero.

De his qui volunt vitam iſtam accipere & qualiter recipi debeant?

CAPVT II.

SI qui voluerint hanc vitã accipere, & venerint ad fratres noſtros, (1) mittant eos ad ſuos Miniſtros Provinciales: quibus ſolummodò & non aliis, recipiendi

(1) Exemplo Chriſti Domini mittentis leproſos mundandos ad Sacerdotes ab eis examinandos. (1) *Matth.* 8. 4. *Marci* 1. 44. *Luca.* 5. 14. & 17.

cipiendi fratres licentia concedatur. (1) Ministri verò diligenter (2) examinent eos de Fide catholica, & Ecclesiasticis Sacramentis. Et si hæc omnia credant, (3) & velint ea fideliter confiteri, & usque in finē (4) firmiter observare, & uxores non habent, vel si habent & monasterium jam intraverint uxores, vel licentiam eis dederint auctoritate Diœcesani Episcopi, voto continentiæ jam emisso, & illius ætatis sint uxo-

res

(1) Nomen *Ministri* sumitur ex *Matth.* 20. 26. Maior inter vos erit Minister, &c. Et *Marci* 10. 44.

(2) Sumitur ex *Ioann.* 9. 35. Tu credis in Filium Dei? & *Ioann* 11. 26. Credis hoc?

(3) Sumitur ex illo *Lucæ* 8. 50. Crede tantùm, & salva erit. & *Ioann.* 20. 29. Beati qui non viderunt & crediderunt.

(4) Sumitur ex *Matth.* 24. 13. Qui perseveraverit usque in finem.

res, quòd non possit de eis oriri suspicio; dicant eis verbum sancti Evangelii, quòd vadant (1) & vendant omnia sua & ea studeant pauperibus erogare. Quod si facere non potuerint, sufficit eis bona voluntas. Et caveant fratres, & eorũ Ministri, (2) ne soliciti sint de rebus suis temporalibus: ut liberè faciant de rebus suis, quidquid Dominus inspiraverit eis. Si tamen consilium requiratur, licentiam habeant Ministri mittendi eos ad aliquos Deum timentes: quorum consilio bona sua pauperibus erogentur. Posteà conce-

(1) Habetur *Matth.* 19. 21. *Marci.* 10. 21. *Lucæ.* 18. 22.

(2) Hoc idem docetur *Matth.* 6. 25. & 31. Nolite ergo solliciti esse. Et *Lucæ* 12.

dant eis pannos probationis, videlicet, duas tunicas ſine caputio, & cingulum & bracchas & caparonem uſque ad cingulum; niſi eiſdem Miniſtris aliud ſecundùm Deum aliquando videatur. Finito verò (1) anno probationis, recipiantur ad Obedientiam promitttentes vitam iſtam & Regulam ſemper obſervare. Et nullo modo licebit eis de iſta Religione exire juxta mandatum Domini Papæ: quia ſecundùm ſanctum Evangeliũ (2) nemo mittens manum ad aratrum, & aſpiciens retrò, aptus eſt regno Dei. Et illi qui jam promiſerunt Obedientiã

ha-

(1) Sumitur à figura ficulneæ uno anno exſpectatæ ad fructum, *Luc.*13. 8. (2) *Luc.*9. 62.

habeant unam tunicam cum caputio, & aliam sine caputio, qui voluerint habere. Et qui necessitate coguntur, possint portare calceamenta. (1) Et fratres omnes vestimẽtis vilibus induantur, & possint ea repetiare de saccis & aliis petiis cũ benedictione Dei. Quos moneo & exhortor, ne despiciant neque (2) judicent homines, quos viderint mollibus vestimentis & coloratis indutos, uti cibis & potibus delicatis, sed magis unusquisque (3) judicet & despiciat semetipsũ.

SUM-

(1) Vilitas indumentorum habetur *Matth.* 11. 8. Qui mollibus vestiuntur in domibus Regum sunt.
(2) Hoc idem docetur *Matth.* 7. 1. & *Lucæ* 6. 37. & *Ioann.* 7. 24. Nolite judicare, &c.
(3) Despectio sui ipsius habetur *Lucæ* 17. 10. Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt, dicite, servi inutiles sumus.

SUMMARIA EXPOSITIO hujus Capitis.

IN hoc Capite est unum præceptum formale, nempè, quòd non liceat exire de Religione. Et sunt quatuor præcepta æquipollentia. Primum: de conditionibus recipiendorum ad Ordinem. 2. Quòd professi habeant tantùm unam tunicam cum caputio, & aliam sine caputio. (3) Quòd non possint portare calceamenta sine necessitate. Et 4. Quòd vestimentis vilibus induantur.

DECLARATIO *Hujus Capitis, facta à S. P. N. FRANCISCO.*

Si qui voluerint hanc vitam accipere: &c.

ARTICVLVS I.

An liceat fratribus se immiscere negotiis recipiendorum ad Ordinem?

RESpondet S. P. FRANCISCVS: (1) Si quis divinâ inspiratione volens accipere hanc

(1) In I. Regulâ cap. 2.

hanc vitam, venerit ad nostros fratres, benignè recipiatur ab eis : qui si fuerit firmus accipere vitam nostram, multùm caveant fratres sibi, ne de suis temporalibus negotiis se intromittant: sed ad suum Ministrum, quàm citiùs poterunt, eum repræsentent. Minister verò benignè recipiat ipsum & confortet & vitæ nostræ tenorem ei diligenter exponat. Quo facto, prædictus, si vult & potest spiritualiter, & sine impedimento, vendat omnia sua & studeat pauperibus erogare. Caveant autem fratres & Ministri fratrū, quòd de negotiis suis nullo modo se intromittant. Nec recipiant aliquam pecuniam, nec per se, nec per interpositam personam. Et cùm reversus fuerit, Minister concedat ei pannos probationis usque ad annum unum.

ROGAS. I. *An si aliqua sint impedimenta circa venditionem prædictam & distributionem pauperibus faciendam, quid fieri debeat?* (1) *Respondet* S. FRAN-

(1) Ibidem.

S. FRANCISCVS: Si autem aliquis venerit qui sua dare non potest sine impedimento & habet spiritualem voluntatem, relinquat illa & sufficit ei.

ROGAS. 2. *An liceat fratribus pro suis necessitatibus à novitiis res aliquas reservandas accipere?* S. P. FRANCISCVS *Vicario suo petenti licentiam ad reservanda aliqua de rebus novitiorum propter magnam necessitatem loci sanctæ* MARIÆ *de* PORTIVNCVLA, *ob quam non poterat hospitibus subvenire, respondit*: (1) Absit à nobis frater charissime, ut pro quovis homine impiè agamus in Regulam. Malo te altare Virginis gloriosæ nudare, cùm necessitas id postulaverit, quàm contra paupertatis votum & Regulæ observantiam, vel Evangelii professionem, aliquid vel modicum attentare. Gratius enim habebit Beata Virgo, sancti Evãgelii observato perfectè consilio, suum altare detegi, quàm altari suo ornato, Filii sui promissum consilium prætermitti.

Ro-

(1) In Opusc. Colloquio 2.

ROGAS. 3 *An fratres efficaciter perſuadere debeant recipiendis ad ordinem, ut ſervato juſtitiæ debito bona ſua pauperibus diſtribuant? Reſpondit, huic quæſito S. FRANCISCVS proprio exẽplo: cùm enim præcepiſſet cuidam Ordinis habitum petenti, ut ſua pauperibus erogaret: cumq́ʒ ille cognatis & conſanguineis diſtribuiſſet, rediiſſetq́ʒ ad Beatum Patrem, & quæ fecerat narraſſet; eum repulit dicens:* (1) Vade Frater muſca nondum exiſti de cognatione tua, & de domo patris tui. Non eſt dignus jungi pauperibus Chriſti, qui pauperes defraudavit. Incœpiſti à carne, ruinoſum fundamentum ſpirituali fabricæ poſuiſti: Vade viam tuam.

(1) Apophthegm. 22.

Et

Et nullo modo licebit eis de ista Religione exire : &c.

ARTICVLVS II.

Quænam debeat esse fratrum perseverantia in Ordine?

REquisitus S. P. FRANCISCVS *à Sancta Matre* Clara , *quænam debeat esse perseverantia in Religione? Respondit illi* : (1) Ego Fr. FRANCISCVS parvulus volo sequi vitam, & paupertatem altissimi Domini nostri IESU Christi,& ejus sanctissimæ Matris, & perseverare in ea usque in finem : Et rogo vos omnes Dominas meas,& consilium do vobis , vt in ista sanctissima vita & paupertate semper vivatis. Et custodite vos multùm , ne doctrinâ vel consilio alicujus ab ipsa in perpetuum ullatenùs recedatis.

Vt autem non perseverantes horribiliter terreantur

(1) Epistola 5.

Prophetico facto perſeverantiā docuit. Cùm enim per Apuliam *peragranti SS. Patriarchæ occurreret ſui Ordinis Apoſtata & veniam humiliter peteret: Reſpondit B. Pater, ſurcas è regione in loco quodam eminentiori poſitas oſtendens:* (1) Modò offenſam hanc tibi condono, ad Religionem regredere; ſed cave tibi, ſi enim iterùm habitum rejeceris aut Ordinem exieris, in furcis illis ſuſpendêris, *Deinde frater ille miſerrimus denuò apoſtatavit, & in ſurcis ob delictum commiſſum fuit appenſus.*

(1) Prophetia 13.

Et fratres omnes veſtimentis vilibus induantur, & poſſint ea repetiare de ſaccis & aliis petiis cum benedictione Dei &c.

ARTICVLVS VLT.

An cenſendi ſint Fratres Minores qui veſtimentis vilibus non utuntur?

V*T Enerant ex* Anglia *ad invisendum* B. P. *FRANCISCVM duo fratres habitus de panno illius regni portantes valdè speciosos, dixitq́; eis S. Pater*: (1) O Fratres, de quo Ordine estis vos? *Et illi*: Pater, nos de Ordine tuo sumus. *Quibus Sanctus respondit*: Quarè ergo portatis ita bonos & politos habitus? *Cui dixerunt*: Quia in terra nostra non inveniuntur alii panni. *Tunc B. Pater sibi sociisq́ue habitus de sacco imposuit, illisq́ue fratribus dixit*: O Fratres, si vultis esse de Ordine meo, facite vobis de cætero habitus de tali panno, qualis est iste quem ego porto, quem invenietis ubique.

Sic etiam videns S. Pater fratrem Eliam *lato longoq́; habitu indutum ex panno non vili, illum sibi ipsi imposuit, & simulato fastu inflatoq́; pectore incedens eumdem habitum à se indignabundus projecit dicens*: (2) Sic incedunt bastardi Ordinis.

ROGAS. *An debeant fratres ob inanes otiosorum dicacitates, viles & repetiatas vestes deserere?*

(1) In Specul. pag. 235. à tergo
(2) In Specul. pag. 181.

vere? Respondit S. P. (1) Omnes fratres vilibus vestibus induantur, & possint eas repetiare de saccis & aliis petiis cum benedictione Dei. Quia Dominus dicit in Evangelio: (2) Qui in veste pretiosa sunt & in delitiis, & qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt. Et licèt dicantur hypocritæ non tamen cessent benefacere, nec quærant caras vestes in hoc sæculo; ut possint habere vestimentum in Regno cælorum.

(1) In I. Regu. c. 2. (2) *Matth.* c. 11. 8.

De divino officio & jejunio, & qualiter fratres debeant ire per mundum.

CAPVT III.

CLerici faciant divinum Officium secundùm ordinem sanctæ Romanæ Ecclesiæ,

excepto Psalterio, ex quo habere poterunt Breviaria. Laici verò dicant viginti quatuor Pater-noster pro Matutino; pro Laudibus quinque; pro Prima, Tertia, Sexta, Nona, pro qualibet istarum horarum septem; pro Vesperis autem duodecim; pro Completorio septem & orent pro defunctis. Et (1) jejunent à festo omnium Sanctorum usque ad Nativitatem Domini. Sanctam verò Quadragesimam quæ incipit ab Epiphania Domini usque ad cõtinuos quadraginta dies, quam Dominus (2) suo sancto jejunio con-

(1) Exemplo Christi, qui jejunavit ut habetur *Matth*.4. 2.

(2) Hoc jejunium habetur præter *Matth*. 4. *Marc*. 1.13. & *Luc*.4 2.

consecravit, qui voluntariè eam jejunant, benedicti sint à Domino, & qui nolunt, non sint adstricti, sed aliam usque ad Resurrectionem Domini jejunent. Aliis autem tẽporibus non teneantur, nisi sextâ feriâ jejunare. Tempore verò manifestæ necessitatis non teneantur fratres jejunio corporali. Consulo verò, moneo & exhortor fratres meos in Domino IESU Christo, ut quando vadunt per mundum (1) non litigent neque contendant verbis, nec (2) alios judicent: sed sint (3) mites, pacifici

(1) Idem præcepit Christus *Matth*. 5. 39: Ego autem dico vobis non resistere: &c. Et ibidem *n*. 40. Qui vult tecum contendere &c. Dimitte: &c.

(2) Habetur *Matth*. 7. 1. & *Luc*. 6. 37.

(3) Sumitur ex *Matth*. 5. 4. & 9. & *Matth*. 11. 29: Discite à me &c.

cifici & modesti, mansueti & humiles, honestè loquentes omnibus sicut decet. Et non debeant (1) equitare, nisi manifestâ necessitate vel infirmitate cogantur. In quācumque domum intraverint, primùm dicant (2) Pax huic domui. Et secūdùm (3) S. Evangeliū de omnibus cibis qui apponuntur eis, liceat manducare.

(1) Habetur *Ioan.* 4. Iesus fatigatus ex itinere non equitavit.

(2) Habetur *Luc.* 10. 5. & *Matth.* 10. 12.

(3) Habetur *Luc.* 10. *cap.* 7.

SUMMARIA EXPOSITIO hujus Capitis.

IN hoc Capite sunt tria præcepta æquipollentia. I. De Officio divino recitando à Clericis & Laicis. 2. De jejunio à festo omnium Sanctorum, usque ad Nativitatem Domini, & in sextis feriis totius anni. 3. De non equitando.

Eſt etiam una Regulæ libertas circa jejunium ab Epiphania uſque ad continuos quadraginta dies; quòd ſcilicet, qui nolunt illud facere non ſint adſtricti.

Clerici faciant diuinum Officium &c.

DECLARATIO
hujus Capitis facta à S. P. N. FRANCISCO.

ARTICVLVS I.

Qualis eſſe debeat modus & devotio in divino Officio recitãdo?

RESpondit S. Pater *ſcribens ad Generale Capitulum ſui Ordinis* :(1) Clerici dicant divinum Officium cum devotione coram Deo, non attendentes melodiam vocis ſed conſonantiam mentis : *& reddens rationem ait* :(2) Pudere debet quemquam

(1) Epiſtola 10. (2) Oracul. 11.

quam in vagationes nugatorias distrahi, cùm tempore orationis magnum Regem alloquitur.

ROGAS. I. *Quàm magna debeat esse ista devotio in Officio divino recitando? Respondet S. Pater:* (1) Si quietè corpus cibum suum futurum cum ipso vermium esca accipit, cum quanta pace & tranquillitate anima accipere debet cibum vitæ qui est Deus, qui per orationem ac divini Officii solutionem debitam familiariter nobis exhibetur.

ROGAS. 2. *Quantò zelo debeant Religiosi hanc devotionem in Officio recitando curare? Respondet suo exemplo Seraphicus Pater: Cùm enim ad otium fugiendum ligneum vastulum fecisset, & deinde recitans horas Canonicas vasculi species ejus mentem distraheret, illud igni tradidit dicens:* (2) Sacrificabo illud Domino, cujus sacrificium impedivit.

Et

(1) Oracul 16.
(2) Apophtheg. 29.

Et jejunent à festo omnium Sanctorum, &c.

ARTICVLVS II.

Quanta sit jejunii & abstinentiæ necessitas?

I*Nterrogatus* S. *Pater, cur tam rigidè sensus coërceret vt vix necessaria sumeret sustentationi naturæ, respondit*: (1) Difficile est necessitati corporis satisfacere, & pronitati sensuum non parêre.

Adeò autem abstinentiæ addictus erat, ut cùm quâdam vice infirmitate gravatus carnem commedisset, posteà dixerit: (2) Non decet ut populus abstinentem me credat in publico, & ego carnaliter reficiar in occulto. *Viribus itaq; resumptis, nudus & fune ad collum alligato ad forum processit, ubi fervore magis admirabili quàm imitabili populo ait*: (3) Carnem in occulto comêdi; non me ergo

(1) Apophtheg. 11. (2) Apophtheg. 35.
(3) Ibidem.

ergo deinceps, Fratres, spiritualem dicite, sed tamquam carnalem & glutonem contemnite.

Tempore verò manifestæ necessitatis non teneantur fratres jejunio corporali.

ARTICVLVS III.

Qualis debeat esse methodus & discretio in jejunio?

M*Anens Seraphicus Pater* (1) *apud rivũ tortum, quâdam nocte, quiescentibus omnibus audivit vocem cuiusdam ex eis dicentis:* Morior, morior. *Accepto itaque lumine & reperto fratre vociferante, interroganti S.* FRANCISCO *quid haberet quod moreretur.* Respondit; Morior fame. *Tunc B. Pater appositâ mensâ ne frater ille verecundaretur, cum eo comêdit cæterosq; fratres comedere fecit, dixitq; eis:* Fratres mei, ita dico vobis quòd unusquisque

(1) In Specul. c. 26.

quiſque conſideret naturam ſuam, quia licèt aliquis noſtrûm ſuſtentari valeat pauciori & parciori cibo quàm alter; nolo tamen quòd ille qui indiget maiori cibo, nitatur imitari illum in hoc; ſed naturam ſuam conſiderans tribuat corpori ſuo neceſſitatem ſuam, ut ſufficiat ſervire ſpiritui. Sicut enim à ſuperfluitate comeſtionis corpus aggravatur, ita etiam anima à ſuperflua abſtinentia, imò magis, quoniam Dominus miſericordiam vult, & non ſacrificum. Chariſſimi Fratres, hoc ideò feci, videlicet quòd comedimus hoc, propter charitatem fratris noſtri feci, quòd comedimus pariter cum eo, ne verecūdaretur ſolus cōedere. Magna enim neceſſitas & charitas me cogit hoc facere; Sed dico vobis, quòd de cætero nolo ſic facere, quia non eſſet religioſum nec honeſtum: Sed volo & præcipio vobis, ut quilibet ſecundùm veram noſtram paupertatem ſuo corpori

ſatisfaciat, ſicut ei neceſſe fuerit.

ROGAS. I. *Qualiter per abſtinentiam & jejunium domari ſimul, & ſuſtentari debeat corpus? Reſpondit S. Pater*: (1) Fratri corpori cum diſcretione providendum eſt, Fratres chariſſimi, ne ab eo tempeſtas acediæ commoveatur. Servus enim Dei in comedendo & bibendo & dormiendo & alias corporis neceſſitates ſumendo, debet cum diſcretione ſuo corpori ſatisfacere, unde non tædeat ipſum vigilare & reverenter in oratione perſiſtere, ita quòd frater corpus non valeat murmurare dicens: Fame deficio, tui exercitii ſarcinam ferre non valeo; non poſſum ſtare rectus & inſiſtere orationi, nec in tribulationibus meis lætari nec alia bona operari, quia non ſatisfacis indigentiæ meæ. Si enim ſervus Dei cũ diſcretione, & ſatis bono modo & honeſto ſuo corpori ſatisfaceret; & frater corpus, ſi poſtquàm ſufficientem vorâſſet annonam

aliàs

(1) Collation. 8.

aliàs muſſitaret eſſetque negligens & pigrum, vel ſomnolentum in orationibus & vigiliis & aliis bonis operibus; ſcito pigrum jumentum calcaribus indigere,& inhærentem aſellum ſtimulum expetere; tunc debet ipſum caſtigare tamquam malum & pigrum jumentum, quod vult comedere & nō lucrari,& onus nō portare.

ROGAS. 2. *Quid faciendum à fratribus, ſi petant pro corporis neceſsitatibus nec accipiant? Reſpondet ſanctus Pater:* (1) Si verò propter inopiam & paupertatem frater corpus neceſſitates ſuas in ſanitate & infirmitate habere non poteſt ,dum honeſtè petierit & humiliter à Prælato ſuo amore Dei, & ſibi non datur, ſuſtineat amore Domini patienter, qui etiam ſuſtinuit quærens qui eum conſolaretur, & non invênit. Et hæc neceſſitas ſibi à Domino imputatur pro martyrio. Et quia fecit quod ſuum eſt, id eſt, quòd petiit humiliter ſuam neceſſitatem, excuſatur à pec-

E cato

(1) Ibidem.

cato, etiamsi corpus inde graviùs infirmetur.

Consulo verò & moneo fratres meos in Domino IESV Christo, ut quando vadunt per mundum, non litigent neque contendant verbis, nec alios judicent &c.

ARTICVLVS IV.

Qualis debeat esse conversatio fratrũ quando vadunt per mundum?

Docuit hoc sanctus Pater, *dicens fratribus suis:* (1) In nomine Domini ite bini & bini per viam humiliter & honestè, & maximè cum stricto silentio à manè usque post tertiam, orantes Dominum in cordibus vestris. Verba otiosa & inutilia non nominentur in vobis; licèt enim ambu-

(1) Collation. 22.

ambuletis, tamen conversatio vestra sit ita humilis & honesta, sicut in eremitorio aut in cella essetis. Nam ubicumque sumus & ambulamus, habemus semper cellam nobiscum. Frater enim corpus est cella nostra, & anima est eremita, quæ moratur in cella ad orandum Dominum & meditandum de ipso. Vnde si anima non manserit in quiete in cella sua, parũ prodest Religioso cella manufacta. Talis sit vestra conversatio inter gentes, ut quicumque vos audiet vel videbit, gloriosum Patrem cælestem & Deum laudet devotè.

ROGAS. I. *Quam habere debent internam secum, & externam cum aliis cordis lætitiam fratres? Respondet Seraphicus Pater:* (1) Sanctam, Fratres charissimi, interiùs & exteriùs lætitiam Dei habete. Si enim servus Dei studuerit habere & conservare lætitiam spiritualem quæ provenit ex munditia cordis, & acquiritur per devotionem ora-

(1) Collation. 11.

orationis, dæmones nihil possunt ei nocere dicentes: Ex quo in tribulatione & prosperitate lætitiam habet servus Dei, non possumus invenire aditum intrandi ad ipsum, nec sibi nocere. Sed tunc exultant dæmones; quando devotionem & lætitiam, quæ provenit ex munda oratione & ex aliis operibus virtuosis, possunt extinguere vel aliqualiter impedire.

ROGAS. 2. Quomodò debeant fratres pacem annuntiare? Respondet B. Pater: (1) Pacem annunciate omnibus dicentes, Dominus det tibi pacem. Sed sicut pacem annunciatis ore, sic in cordibus vestris pacem & ampliùs habeatis. *Sic etiam alibi*: (2) In quâcumque domum intraverint, dicant primùm: Pax huic domui. (3) Et in eadem domo manentes, edant & bibant quæ apud illos sunt. (4) Non resistant malo; sed si quis eos in maxillam percusserit, præbeant ei alteram; & qui auferret serit,

(1) Collation. 22. (2) In 1. Reg. c. 14. *Luc.* 10. 5. (3) *Lucæ* 10. 5. (4) *Lucæ* 6. 29. & 30.

eis vestimentum & tunicam non prohibeant. Omni petenti se tribuant; sed si quis auferret quæ sua sunt, non repetant.

Quòd fratres non recipiant pecuniam.

CAPVT IV.

PRæcipio firmiter fratribus universis, ut nullo modo (1) denarios vel pecuniam recipiant per se, vel per interpositam personam. Tamen pro (2) necessitatibus infirmorum & aliis fratribus induendis, per amicos spirituales Ministri tantùm & Cu-

(1) Sumuntur hæc verba ex *Matth.* 10. 9. Nolite possidere aurum nec argentum. Et *Marci* 6. 8. Præcipitur discipulis ne quid tollerent, &c. Nec in zonis æs. Et *Lucæ*. 9. 3.

(2) Sumitur ex *Luc.* 10. 34. in facto Samaritani: Qui curam habuit de vulnerato, &c.

ſtodes ſollicitam curam gerant ſecundùm loca & tempora & frigidas regiones, ſicut neceſſitati viderint expedire. Eo ſemper ſalvo, quòd ut dictum eſt, denarios vel pecuniam non recipiant.

SUMMARIA EXPOSITIO hujus Capitis.

IN hoc Capite duo ſunt præcepta. Primum eminens, inhibitorium ſeu formale: De non recipiendo denarios vel pecuniam per ſe vel per interpoſitam perſonam. 2. Eſt æquipollens: De cura gerenda à Miniſtris & Cuſtodibus pro fratribus infirmis, & induendis.

DECLARATIO *Hujus Capitis, facta à S. P. N. FRANCISCO.*

Præci-

Præcipio firmiter fratribus universis, ut nullo modo denarios vel pecuniam recipiant per se, vel per interpositam personã.

ARTICVLVS I.

Qualis esse debeat Minorum Fratrum aversio à denariis & pecunia?

DOcuit expressè S. P. sic dicens fratribus suis: (1) Dominus præcepit in Evangelio: (2) Videte, & cavete ab omni malitia & avaritia; & attendite vobis à solicitudinibus hujus sæculi, & à curis hujus vitæ. Nullus fratrum, ubicumque sit & quocumque vadit, aliquo modo tollat nec recipiat, nec recipi faciat pecuniam aut denarios; nec occasione vestimentorum nec librorum, nec pro pretio alicujus labo-

(1) In 1. Regula c. 8. (2) *Luca* 21. 34.

laboris: imò nullà occasione, nisi propter manifestam necessitatem infirmorum fratrum; quia non debemus maiorem utilitatem habere, & reputare in pecunia & denariis, quàm in lapidibus. Et illos vult diabolus obcæcare, qui eam appetunt vel reputant lapidibus meliorem. Caveamus ergo, quia omnia reliquimus, ne pro tam modico regnū cælorum perdamus. Et si in aliquo loco invenerimus denarios, de his non curemus, tamquam de pulvere quem pedibus calcamus; (1) quia vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Et si forté (quod absit) aliquem fratrem contigerit pecuniam vel denarios colligere vel habere, exceptâ solummodò prædictâ infirmorum necessitate, omnes fratres teneant eum pro falso fratre & fure & latrone & loculos habente, nisi verè pœnituerit. Et nullo modo fratres recipiant nec recipi faciant, nec quærant

nec

(1) Ecclef. 1. 2.

nec quæri faciant pecuniam vel eleëmoſynam,nec denarios pro aliquibus domibus vel locis; nec cum perſona pro talibus locis pecuniam vel denarios quærente vadant. Alia autem ſervitia, quæ non ſunt contraria vitæ noſtræ,poſſunt fratres in talibus locis facere cum benedictione Dei. Fratres tamen in manifeſta neceſſitate leproſorum poſſunt pro eis quærere eleëmoſynam. Caveant tamen multùm à pecunia. Similiter caveant omnes fratres, ne pro aliquo turpi lucro terras circumeant.

ROGAS. Quantùm ſit inimica pecunia Minoribus Fratribus? Declaravit S. P. in facto quodam admirabili; Cùm enim per Apuliam *juxta* Barium *tranſiret, ſocius ejus prohibitam burſam è terra elevavit, ex qua ſtatim ſerpens exiliit; dixitq; Sanctus ſocio:* (1) Pecunia ſervis Dei, ô Frater, nihil aliud eſt, quàm diabolus & coluber venenoſus.

Ta-

(1) Apoptheg. 38.

Tamen pro necessitatibus infirmorum &c.

ARTICVLVS II.

Quæ geri debeat cura de fratribus infirmis?

DOcuit *Seraphicus Pater his verbis*: (1) Si quis fratrum in infirmitatem inciderit, ubicumque fuerit, alii fratres non dimittant eum, nisi constituatur vnus de fratribus, vel plures si necesse fuerit, qui serviant ei sicut vellent sibi serviri. Sed in maxima necessitate possunt ipsum dimittere alicui personæ, quæ debeat suæ satisfacere infirmitati. Et rogo fratrem infirmum, ut referat de omnibus gratias Creatori; & qualem vult eum Dominus, talem esse desideret, sive sanum, sive infirmum; quia omnes quos Deus ad vitam prærordinavit æternam, flagellorum atque in-

(1) In 1. Regula c. 10

infirmitatum ſtimulis & compunctionis ſpiritu erudit, ſicut dicitur in Apocalypſi : (1)Ego quos amo, corrigo & caſtigo. Si autem turbabitur,ſive iraſcetur contra Deum ſive contra fratres; vel ſi forté ſolicitè poſtulaverit medicinas, nimis deſiderans liberare carnem citò morituram quæ eſt animæ inimica,à malo ſibi evenit & carnalis eſt,& non videtur eſſe de fratribus, quia plùs diligit corpus quàm animam.

BOGAS, *An etiam in infirmitatibus magis fidendum ſit paupertati quàm pecuniæ? Reſpondet S. Pater facto & dicto mirabili : Nam laborans ultimâ infirmitate apud* Noceriam, *cùm à proceribus Aſsiſinatibus Aſsiſium reduceretur,ac iſti conquererentur quòd nil comeſtibile in Villa* Sarthiani *venale reperiſſent, dixit:* (2) Nîl comedendum invenitis,quia plùs in muſcis veſtris (id eſt in denariis) quàm in Domino confiditis. Sed revertimini per domos quas circuiſtis, & amorem Dei offerentes

(1) Apocalyps. 3. 19. (2) Apophtheg. 47.

tes pro pretio humiliter eleëmosynam postulate. *Et sic evênit, ut FRANCISCI paupertas quam pecunia non poterat inopiam relevaret.*

De modo laborandi.
CAPVT V.

FRatres illi quibus gratiam dedit Dominus laborandi, (1) laborent fideliter & devotè, ita quòd excluso (2) otio animæ inimico, sanctæ (3) orationis & devotionis spiritum non extinguant, cui debent cætera (4) temporalia deser-

(1) Sumitur ex 1. *Corint.* 4. 12. Laboramus operantes manibus nostris.

(2) Habetur *Matth.* 29. 6. Vbi Dominus stantes in foro otiosos reprehendit. Et *Eccli.* 33 29. Multam malitiam docuit otiositas.

(3) Habetur *Matth.* 26. 41. Vigilate, & orate. Et *Luc.* 18. 1. Oportet semper orare &c.

(4) Habetur *Matth.* 6. 33. Primùm quærite regnum Dei &c.

deservire. De (1) mercede verò laboris pro se & suis fratribus corporis necessaria recipiant, præter denarios vel pecuniam. Et hoc humiliter, sicut decet servos Dei & paupertatis sanctissimæ sectatores.

(1) Sumitur ex *Luc.* 10. 7. Dignus est operarius mercede suâ.

SUMMARIA EXPOSITIO huius Capitis.

IN hoc Capite non sunt nova præcepta: Nam illud de non recipiendis pecuniis vel denariis includitur in quarto capite. Sunt igitur admonitiones, exhortationes & consilia; Id sentiunt cuncti expositores.

DECLARATIO
hujus Capitis facta à S. P. N. FRANCISCO.

Fratres illi quibus Dominus dedit gratiam laborandi &c.

ARTICVLVS I.

Quam Regulam in suis laboribus fratres observare debeant?

SEraphicus Pater laborandi methodum docuit dicens: (1) Fratres qui sciunt laborare, laborent, et eamdem artem exerceant quam noverint, si non sit contra salutem animæ suæ, & honestè poterunt operari. (2) Nam ait Propheta: Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es, & benè tibi erit. (3) Et Apostolus: Qui non vult

(1) In 1. Reg. c. 7. (2) Psalm 127. 2.
(3) 2. Thessal. c. 3. 11.

vult laborare, non manducet. Et unusquisque in eadem arte & officio, in quo vocatus est, permaneat.

ROGAS, Quàm sit Deo acceptum laboritium fratrum? Declaravit S. Patriarcha, quando suo fratri uterino paupertatem ejus irridenti, & aliquantulum sudoris sibi vendi petenti, respondit: (4) Sudorē meum cariùs Domino vēdam.

(4) Apophtegma 2.

Ita quòd excluso otio animæ inimico sanctæ orationis & devotionis spiritum non extinguant &c.

ARTICVLVS II.

De bonis provenientibus ex labore, otium expellente.

VIdens B. P. *quosdam otiantes, alios verò tepidè laborantes, eos coram fratribus acriter reprehendit dicens:* (1) Tepidi nec se fa-

 fami-

(1) Colloq. 3a.

miliariter & humiliter labori applicantes, de ore Dei citò evomentur. Fratres ergo omnes laborare volo, & exercitari humiliter in bonis operibus ut simus populo minùs onerosi, & cordis & linguæ malis obviemus, ne per malos cogitatus aut aliorum famam evagentur.

ROGAS 1. *Quanam sint mala ab otio provenientia? Respondet S. P. his verbis:* (1) Otium omnium malarum cogitationum sentina est. Laborandum ergo, & cuique exercitandum in opere, ne otio deditus per illicita corde aut linguâ vagetur.

ROGAS 2. *Qualis censendus sit frater otiosus? Respondit B. P. quando otiosum fratrem à consortio fratrum expulit dicens:* (2) Vade viam tuam frater musca, quoniam vis comedere laborem fratrum tuorum & otiari in operibus Dei sicut fucus, apis otiosa & sterilis; quæ nón operatur nec laborat, sed comedit laborem & lucrum bonarum apum,

Adver-

(1) Oracul. 17. (2) Apophtheg. 15.

Advertit tamen Seraphicus Pater, quòd per laborem excludere debemus otium, sed non extinguere spiritum orationis, in qua est principale lucrum Religiosi: sicq; nos docuit his verbis: (1) Est in oratione lucrum & cumulatio gratiarum, in prædicatione distributio quædam donorum cælitùs acceptorum. In oratione etiam purificatio interiorum affectuum, & unitio ad unum verum & summum bonum cum vigoratione virtutis. In prædicatione spiritualium pulverizatio pedum, distractio circa multa & relaxatio disciplinæ. Tandem in oratione Deum alloquimur & audimus, quasi angelicam vitam agentes inter Angelos conversamur.

(1) Collat. 14.

De

De mercede verò laboris corporis necessaria recipiant &c.

ARTICVLVS III.

Quemnam modum observare debeant fratres in recipienda mercede laboris.

S*Anctus Pater id expressè docuit sic dicens fratribus suis:* (1) Qui laborare nesciunt, addiscant; lucrum autem vel mercedem laboris non laborantis arbitrio sed Guardiani vel Prælati disponendum.

(1) Colloq. 32.

Quòd nihil sibi approprient fratres, & de eleëmosyna petenda, & de fratribus infirmis.

CAPVT VI.

FRatres (1) nihil sibi approprient, nec domum nec

(1) Sumitur ex illo *Matth.* 8. 20. & *Luc.* 9. 58. Vulpes foveas habent &c.

locum nec aliquam rem; sed tamquam peregrini & advenæ in hoc sæculo, (1) in paupertate & (2) humilitate Domino famulantes, vadant pro eleëmosyna confidenter. Nec oportet eos verecundari, quia Dominus pro nobis se fecit (3) pauperem in hoc mũdo. Hæc est illa celsitudo altissimæ paupertatis: quæ vos charissimos fratres meos, heredes & (4) reges regni cælorum instituit, pauperes (5) rebus fecit, virtutibus sublimavit.

(1) Sumitur ex *Matth.* 5. 3. Beati pauperes.

(2) Habetur *Matth.* 18. 4. Quicumque humiliaverit se &c.

(3) Habetur *Matth.* 8. 20. & *Luc.* 9. 58. Filius hominis non habet ubi caput reclinet.

(4) Habetur *Matth.* 5. 3. Beati pauperes &c. ipsorum est regnum cælorum.

(5) Sumitur ex *Marc.* 12. 42. & *Luc.* 21. 3. Vbi vidua pauper plus omnibus meruit.

mavit. Hæc sit portio vestra quæ (1) perducit in terram viventium. Cui, dilectissimi Fratres, totaliter inhærentes, (2) nihil aliud pro nomine Domini nostri IESV Christi in perpetuum sub cælo habere velitis. Et ubicumque sunt fratres, & se invenerint, ostendant se (3) domesticos invicem inter se, & securè manifestet unus alteri necessitatem suam. Quia si mater nutrit & diligit filium suum carnalem; quantò diligentiùs debet quis

(1) Habetur *Matth.* 19. 29. Omnis qui reliquerit &c. centuplum accipiet & vitam æternam possidebit & *Marc.* 10. 30.

(2) Sumitur ex *Luc.* 9. 3. Nihil tuleritis &c. & *Matth* 10. 9.

(3) Habetur *Ioan.* 13. 35. In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.

quis diligere & nutrire fratrem ſuum ſpiritualem? Et ſi quis eorum in infirmitatem ceciderit, alii fratres debent illi ſervire, (1) ſicut vellent ſibi ſerviri.

(1) Sumitur ex *Matth.* 7. 12. Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis. & *Luc.* 6. 31.

SUMMARIA EXPOSITIO huius Capitis.

IN hoc Capite ſunt duo præcepta. Primum eminens, inhibitorium ſeu formale: De altiſſima paupertate ſervanda. Secundum æquipollens: De ſerviendo infirmis fratribus.

DE-

DECLARATIO

Hujus Capitis, facta à S. *P.* N. *FRANCISCO.*

Fratres nihil sibi approprient, nec domum nec locum nec aliquã rem, sed tamquam peregrini & advenæ in hoc sæculo, in paupertate & humilitate Domino famulantes.

ARTICVLVS I.

De paupertate & humilitate quæ decet Minores Fratres, & de totali rerum abdicatione.

VT *veram Minorum Fratrum paupertatem* S. FRANCISCVS *adstrueret, summo Pontifici* Innocentio III. *cui dura nimis & intolerabilis Regula*

Regula videbatur, hanc dixit parabolam:(1) Virgo quædam pauper ſed ſpecioſa nimis, in ſolitario & deſerto loco degebat; quam ut illius regionis Rex vidit, ejus egregiam pulchritudinem admirans in ſuam duxit uxorem. Cum qua per annos aliquot in deſerto commoratus, quoſdam ex ea habuit filios, & matris præferentes venuſtam ſpeciem & naturalia quædam delineamenta Regis habentes. Ad curiam ſuam & regni ſolium reverſo Monarchâ, filios pia mater nutrit, enutritos verò ad Regem tranſmiſit dicens: Filii magno Rege ſati eſtis; in ſua degit curia, ego ſolitudinem hanc nolui nec potui deſerere: vos patrem convenite, & cuius ſtirpis ſitis declarate. Ille vobis neceſſaria & veſtræ nobilitati decentia largietur. Quod vt fecerunt, Rex ſtatim ſua in filiis agnovit indicia, & matris pulchritudinem & venuſtatem. Quibus placidè ait:

(1) Parabol. 1.

ait: Ego verè meos vos agnosco natos, & ut prolem regiam vos educabo: si enim alienos & servos ex mea mensa & stipendiis alendos curavi, quantò mihi solicitior cura erit pro filiis meis, & tam speciosa prole matris vestræ quam ego vehementer diligo. Cujus filios omnes quos ex me susceperit, ad mensam meam sedere faciam, & in curia mea alendos providebo.

Rex iste, sanctissime Pater, est Christus Dominus cæli & terræ: speciosa virgo Paupertas, quæ in deserto hujus mundi ab hominibus repulsa & contempta in solitariis locis degebat. Hujus pulchritudinem Rex regum Christus é cælo descendens adamavit, & mundum ingrediens eam sibi statim in præsepio desponsavit: Plures ex ea in hoc deserto filios procreavit, Apostolos, Anachoretas, Monachos, ac alios quàm plures voluntariam profitentes paupertatem; quos si-

gna

gna ipſius regiæ Chriſti paupertatis, humilitatis & obedientiæ geſtantes, illos tranſmiſit ad cæleſtem Regem, qui benignè eos ſuſcepit & promiſit ſe illos aliturum dicens: (1) Ego qui ſolem meum facio oriri ſuper juſtos & injuſtos, qui Mauris infidelibus & paganis à fide mea alienis, de menſa & theſauris meis victum & veſtitum præbeo, ſuſtento & enutrio; quantò magis hæc vobis libentiori animo concedam,& quæ fuerint neceſſaria impendam vobis,& omnibus qui ex ſponſa mea chariſſima paupertate procreati fuerint?

Ad hunc cæleſtem Regem(beatiſſime Pater)Domina regia ſpōſa paupertas hos ſuos mittit filios, prioribus & ſenioribus nequaquam viliores nec à patris aut matris pulchritudine degeneres, ſummam & perfectam paupertatem profitentes. Non eſt ergo formidandum quòd

(1) *Matth.* 5. 45.

ſame pereant æterni Regis filii & heredes, ad imaginem Regis Chriſti per Spiritus S. virtutem de paupere matre nati, nam & ipſi per ſpiritum paupertatis ſunt in Religione paupercula abundè nutriendi. Si enim Rex cælorum imitatoribus ſuis promittit regnum æternum, quantò magis illa ſubminiſtrabit quæ communiter largitur bonis & malis? *Hanc parabolam cùm Chriſti Vicarius diligenter audiſſet, miratus eſt valdè & indubitanter Chriſtum in homine locutum recognoſcens Regulam approbavit.*

Idipſum etiam alio in loco ſic docuit: (1) Volo fratres meos fundari ſuper ſanctam humilitatem, puram ſimplicitatē, ſanctam orationem & Dominam noſtrā paupertatem. Hæc via ſola eſt ſecura ad ſalutem propriam & aliorum ædificationem, quoniam Chriſtus, ad cujus imitationem vocati ſunt fratres, hanc ſolam nobis oſtendit & docuit verbo pariter & exemplo.

Sicq; S. Pater amore erat paupertatis incen- *ſus*

(1) Collat. 15.

sus, ut quâdam vice Dei Spiritu afflatus dixerit F. Massæo: (1) Eamus Romam, ad sanctos Apostolos Petrum & Paulum exorandos, vt nos doceant tam præclarum paupertatis thesaurum rectè ac fructuosè possidere; is enim ita præstans atque divinus est, nos autem ita viles & abjecti ut indigni simus qui eum talibus vasis teneamus. Hæc enim est virtus de cælo in nos influens, quæ nos ita instituit & informat, vt terrena cuncta ultrò conculcemus, quæque obices omnes è medio tollit quo humana mens cum Domino Deo suo liberrimè atque expeditissimè conjungatur. *Vnde quâdam vice videns pauperculum quemdam suâ nuditate intuentium misericordiam sollicitantem, lamentabili voce dixit ad socium:* (2) Magnam verecundiam intulit nobis huius pauperis inopia, quia nos pro magnis divitiis paupertatem elegimus, & ecce magis relucet in isto.

ROGAS. I. Quam paupertatem Minores Fra-

 tres

(1) Colloq. 41. (2) Apophtheg. 39.

tres servare debeant in ædificiis? Optimè id S. P. insinuat verbis illis quibus fratrem Petrum Cataneum, *qui in loco* Portiunculæ *domunculam quamdam ad commodiorem divini officii psalmodiam construi fecerat, reprehendit dicens:* (1) Frater, locus iste forma est & exemplum totius Religionis. Mallem ergo quòd incolæ huius ædiculæ pro Dei amore tribulationes tolerent & incommoda, vt alii qui huc veniunt, reportent bonum exemplum paupertatis, quàm quòd plura construerent ædificia; ne hospites ad Monasteria sua redeuntes magnas ædificent domos dicentes: In loco B. Mariæ de Portiuncula, qui primus totius Ordinis est & Caput, plura sunt ædificia, quarè ad illius exemplum nulla erit prævaricatio paupertatis si talia etiam & in nostris construamus.

ROGAS. 2. *An Frater Minor ab ipsa cellâ quam habitat, debeat affectum avertere? Suo id exemplo B. P. docuit, qui dicenti fratri cuidam; Pater venio è cella tua, statim respondit:* Meam

(1) Coloq. 3.

(1) Meam dixisti, quam non meam judicavi: alienam deinceps habitare debeo, qui nihil meum habere promisi.

ROGAS 3. An in ipsissimet sanctorum festivitatibus observari debeat à Minoribus altissima paupertas? Respondet S. P. (2) Festivitates Domini & aliorum sanctorum magis honorantur inopiâ & paupertate per quam ipsi cælum ingressi sunt, quàm curiositate & superfluitate per quam anima elongatur à cælo.

ROGAS. 4. An possessio altissimæ paupertatis sit rerum omnium abdicatio? Asseruit S. FRANCISCVS quando iter faciens per Franciam *& fontem ac lapidem in modum mensæ in solitudine reperiens, atque frustulâ panis ostiatim acceptâ dixit ad socium* (3) Non sumus digni tanto thesauro. *Socioq; replicanti ubi esset thesaurus in tanta inopia, respondit:* Hoc magnum reputo thesaurum, hanc pretiosam judico mensam, ubi nihil est humanâ industriâ elaboratum, nihil mundano effictum ingenio, sed

(1) Apophtheg. 30. (2) Oracul. 8.
(3) Apophtheg. 21.

ſed quidquid adeſt, totum eſt divinâ providentiâ miniſtratum.

ROGAS 5. *Quantum debeat appretiari altiſſima paupertas? Reſpondet Pater Seraphicus:* (1) Theſaurus beatificæ paupertatis adeò excellens eſt & divinus, quòd nos indigni ſumus in vaſis noſtris viliſſimis illum poſſidere. Hæc enim eſt illa virtus, per quá terrena & tranſitoria cuncta calcantur, per quá omnes obices tolluntur è medio, dum per illam æterno Domino mens humana conglutinatur. Hæc eſt quæ animam in terris poſitam facit cum angelis in cælo converſari. Hæc eſt quæ Chriſtum in Cruce ſociat, cum Chriſto in tumulo abſconditur, cum Chriſto de ſepulchro reſurgit, & Chriſtum comitatur in cælum. Hæc eſt quæ dotem agilitatis ſuper cælos volandi animabus ipſam amantibus etiam in hac vita concedit; cùm veræ humilitatis & charitatis arma cuſtodiat.

ROGAS. 6. *Quam in Deo fiduciam habere de-*

(1) Oracul. 4.

beant Minores Fratres altissimam paupertatem obseruantes? Ostendit id Seraphicus Patriarcha, quando Honorio III. *summo Pontifici ut possessiones & hereditates acciperet suadenti respondit* : (1) Confido in Domino IESU, quòd qui nobis in cælo promisit & dabit vitam & gloriam sempiternam, non subtrahet nobis in terra illa modica quæ corporis victui & vestitui sunt omninò necessaria.

ROGAS. 7. *Qualis sit gustus animæ desponsatæ cum altissima paupertate, qualisq́ quies & pax? Respondet B. Pater* : (2) Gustanti Deum, omnis dilectio mundi videtur amaritudo. Gustate & videte, quia suavis & dulcis est Dominus, & numquam te pœnitebit de gustu Dei. Secùs est in amando mundum, quia latet hamus in esca illius amoris quia ille amor mundanorum semper producit multos fructus dolorum: quia si amas vxorem, filios, possessiones, domos vel honores, cùm moriuntur & deperduntur, tantò maiores dolores tibi infe-

(1) Apophtheg. 25. (2) Oracul. 30.

inferunt, quantò maiorem affectionem & amorem habeas in illis bonis & rebus.

ROGAS 8. *An profitentes altiſſimam paupertatem habere poſſint meritum liberalitatis? Reſpondet S. Pater*: (1) Pauper magis poteſt eſſe largus quàm dives; quia dives ſi dat quidquid habet, deficiet & confuſus eſt; ſi verò non dat cùm habeat, licèt vellet dare ſi ſibi non deficeret, voluntas bona eſt, ſed non reputatur pro facto ſibi, quia adhuc habet ſubſtantiam. Sed pauper qui nihil habet, qui vellet dare pauperi & nihil habet quod det; & vellet ædificare hoſpitalia, non tamen habet, in hoc voluntas pro facto reputatur. *Et alibi*: (2) Vbi eſt paupertas cum lætitia, ibi nec cupiditas nec avaritia.

ROGAS *ultimò*: *Quanta damna etiam corporalia immineant illis fratribus qui declinaverint à paupertate? Reſpondet B Pater*: (3) Quantùm fratres declinabunt à paupertate, tantùm mundus declinabit ab eis; & quærent, & non invenient.

(1) Oracul. 29. (2) In verb. Sac. admonit. c. 28.
(3) Collat. 5.

Et humilitate.

ARTICVLVS II.

De humilitate quam profiteri debent Minores Fratres.

Expressè circa hoc suam declaravit voluntatem S. P. FRANCISCVS his verbis: (1) Volo fratres meos fundari super sanctam humilitatem, puram simplicitatem, sanctam orationem & Dominam paupertatem. Hæc via sola est secura ad salutem propriam & aliorum ædificationem; quoniam Christus ad cujus imitationem vocati sunt fratres, hanc solam nobis ostendit & docuit verbo pariter & exemplo. *Et alio in loco:* (2) Attende ô homo in quanta excellentia te posuit Deus, qui (3) creavit & formavit te ad imaginē dilectissimi Filii sui secundùm corpus, & ad similitudinem suam secundùm spiritum. Et omnes crea-

(1) Collat. 15. (2) In verb. Sacr. admonit. c. 5.
(3) Gen. 1. 27.

creaturæ quæ sub cælo sunt, secundùm se serviunt, cognoscunt & obediunt Creatori suo meliùs quàm tu;& dæmones non crucifixerunt eum, sed tu cum ipsis crucifixisti eum, & adhuc crucifigis delectando te in vitiis & peccatis. Vnde ergo potes gloriari? Nã si esses ita subtilis & sapiens quòd omnem scientiam haberes,& scires interpretari omnia genera linguarum,& subtiliter de rebus cælestibus perscrutari, in omnibus his non potes gloriari, quia unus dæmon scivit de cælestibus magis, & modò scit de terrenis plusquàm omnes homines, licèt aliquis fuerit qui summæ sapientiæ cognitionem à Domino receperit specialem. Similiter si esses pulchrior & ditior omnibus, & etiamsi faceres mirabilia ut dæmones effugares, omnia ista tibi sunt contraria, & nihil ad te pertinent. In his nihil potes gloriari: sed in hoc possumus gloriari in infirmitatibus nostris & baiulando quotidiè

diè sanctam crucem Domini nostri IESU Christi. *Et rursùs* : (1) Beatus ille servus, qui non tenet se meliorem quando magnificatur & exaltatur ab hominibus, sicut quando tenetur vilis, simplex & despectus: Quia quantus est homo coram Deo, tantus est & non plus. Væ illi Religioso qui ab aliis positus est in alto, & per suam voluntatem non vult descendere. Et beatus ille servus qui non per suam voluntatem ponitur in alto, & semper desiderat esse sub pedibus aliorum.

Totum id proprio exemplo docuit Seraphicus Pater. Percunctanti enim unde sibi vili & despecto tot honores à populo exhiberentur, respondit flexis genibus & oculis elevatis in cælum : (2) Vis scire vnde hoc mihi? Vis scire unde hoc mihi? Et certè scire vnde hoc mihi? Hoc mihi ex oculis illis sanctissimis Dei omnipotentis, qui æquè pellucidè bonos contemplantur & malos, provenire cognoscas. Sanctissimi namque illi Dei

(1) Ibidem c. 19. (2) Colloq. 12.

Dei oculi nullum viderunt me maiorem peccatorem in terris, inter homines insipientiorem aut in creaturis viliorem; & ideò me tamquam instrumentum assumpsit & præ cæteris elegit ad aggrediendum & consummandũ mirabile opus in terris. (1)Stulta namque mundi semper elegit Deus ut confundat sapientes; & ignobilia & contemptibilia & infirma mundi,ut firma destrueret,nobiles& magnates confundat;(2)ut sublimitas virtutis sit ex Deo, non ex creatura;(3)sed qui gloriatur in Domino glorietur, ut soli Deo sit gloria sempiterna.

Ita etiam F. Pacifico *interroganti quid de se Christi servus sentiret, ait*: (4) Videor mihi maximus peccatorum.*Cui cùm idem* F. Pacificus *replicaret, quòd hoc non poterat dicere sanâ conscientiâ & veritate, respondit Sanctus*: Si quantumcumque sceleratum hominẽ tantâ fuisset Christus misericordiâ prosecutus, arbitror sanè quòd multò quàm ego Deo gratior esset.

RO-

(1) 1.Cor. 1. 27. (2) 2. Cor. 4. 7. (3) 1. Cor. 1.31.
(4) Colloq. 11.

ROGAS, An propter virtutem humilitatis fratres S. FRANCISCI vocentur Minores? Reſpondet Sanctus affirmativè: Cardinali namq; Vgolino *ipſum interroganti, An ſibi placeret ſuos fratres ad Eccleſiaſticas dignitates promoveri, ait vir Dei*: (1) Domine, Minores ideò vocati ſunt fratres mei, ut maiores fieri non præſumant. Si vultis ut faciant fructum in Eccleſia Dei, tenete illos & conſervate in ſtatu ſuæ vocationis, & ad Prælationes Eccleſiaſticas nullatenùs aſcendere faciatis.

(1) Colloq. 7.

Vadant pro eleëmosyna confidenter, nec oportet eos verecundari, quia Dominus pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo.

ARTICVLVS III.

Quòd fratres non verecundentur petere eleëmosynam, & viuere ex illa.

SAnctus P. FRANCISCVS *id totum docens dixit*: (1) Cùm necesse fuerit, vadant fratres pro eleëmosynis & non verecundenter, & magis recordentur quia Dominus noster IESUS Christus Filius Dei viui omnipotentis posuit faciem suam ut petram durissimam, nec verecundatus est; & pauper fuit & hospes, & vixit de eleëmosynis ipse & B. Virgo & discipuli ejus. Quando facerent eis homines

(1) In 1. Reg. c. 9.

mines verecundiam & nollent eis dare eleëmosynam, referant inde gratias Deo, quia de verecundiis recipient magnum honorem ante tribunal Domini nostri IESU Christi. Et sciant quòd verecundia non patientibus sed inferentibus imputatur. Et eleëmosyna est hereditas & iustitia quæ debetur pauperibus, quam nobis acquisivit Dominus noster IESUS Christus. Et fratres qui eam acquirendo laborant, magnam mercedem habebunt, & faciunt lucrari & acquirere tribuẽtes: quia omnia quæ homines faciunt in hoc mundo, peribunt; sed de charitate & eleëmosynis quas fecerint, habebunt præmium à Domino.

Et alio in loco: (1) Charissimi Fratres & Filioli mei, nolite verecundari ire pro eleëmosyna, quia Dominus se pro nobis fecit pauperem in hoc mundo, cujus exemplo elegimus viam verissimæ paupertatis. Si enim pro suo amore viam pau-

(1) Collat. 7.

paupertatis elegimus, non debemus confundi pro eleëmosynis ire. Arrham cælestis hereditatis erubescere, nequaquam convenit regni cælorum heredibus. Hæc est enim hereditas nostra, quã acquisivit & reliquit nobis Dominus IESUS Christus, & omnibus qui suo exemplo vivere volunt in sanctissima paupertate. In veritate dico vobis, quòd multi ex nobilioribus & sapientioribus hujus sæculi venient ad istam Cõgregationem, & pro magno honore & gratia habebunt ire pro eleëmosyna. Vos ergo qui estis illorum primitiæ, lætamini & gaudete, nec renuatis facere quæ sanctis illis facienda transmittitis. Ite ergo confidenter & animo gaudenti pro eleë mosyna cum benedictione Dei. Et magis liberè & gaudenter ire debetis pro eleëmosyna, quàm ille qui de una numata offerret centum denarios; quoniam offertis eis amorem Dei, à quibus eleëmo-

synam

nam petitis dicentes: Amore Domini ei faciatis nobis eleëmoſynam, cujus ɔmparatione nihil eſt cælum & terra.

Hoc idem inſinuare ſolebat ſequentibus verbis ( ) Ite, quoniam hâc noviſſimâ horâ Fraes Minores commodati ſunt mundo, ut ie&i in eis impleant vnde à judice comıendentur, illud audientes ſuauiſſimum erbū; (2) Quamdiu feciſtis uni ex fratrius meis minimis, mihi feciſtis. Impii erò & crudeles reprehendantur & ejicintur audientes duriſſimum illud eloquiım: (3) Quamdiu non feciſtis vni ex minoribus his, nec mihi feciſtis. Iucundum ergo eſt ſub Fratrum Minorum titulo mendicare, quem in retributione juſtorum Evangelicæ veritatis Magiſter ore ſuo tam ſignanter expreſſit.

Eodem ductus ſpiritu dicere ſolebat: (4) Panē angelorum (5) manducavit homo. Ille eſt panis angelorum qui pro amore Dei petitur

(1) Colloq 37. (2) *Matth.* 25. 40. (3) v. 45.
(4) Colloq. 38. (5) Pſalm. 77. 25.

petitur, & beatis suggerentibus angelis pro ipsius charitate largitum sancta paupertas colligit ostiatim.

ROGAS, Quanam sit vera & maior dignitas Minorum Fratrum? Respondit B. Pater quando ad comedendum invitantibus aiebat: (1) Nolo dimittere regalem meam dignitatem & hereditatem ac professionem meam & fratrum meorum, ire scilicet pro eleëmosyna ostiatim.

Ita etiam invitatus ad mensam à Cardinali Vgolino *frustella panis eleëmosynaliter conquisita discumbentibus distribuit. Quarè contristatus Cardinalis* Vgolinus *conquestus est quòd ipsum inhonorâsset: At dixit ei B. Pater:* (2) Imò Domine magno honore te affeci, dum maiorem Dominum honoraui. Me fratrum meorum formam & exemplum esse decet; & eò magis quò certiùs scio, quòd in hac Religione sunt & erunt multi fratres Minores nomine & opere, qui propter amorem Domini Dei, & ex Spiritus S. unctione quæ docebit eos, in omnibus

(1) Apophtheg. 14 (2) Colloq. 6. (3) 1. Ioan. 2. 7.

bus humiliabuntur ad plenam humilitatem, ſubjectionem & ſervitium fratrum ſuorum. Econtrariò; alii ſunt & erunt, qui aut propter verecundiam aut malam conſuetudinem dedignantur & nolunt ſe humiliare aut declinare ad eleēmoſynas petendum,& hujusmodi opera facere ſervilia. Propter quod oportet me docere eos qui ſunt & erunt in Religione, ut in hoc ſæculo & in futuro inexcuſabiles ſint coram Deo. Invitatus itaque apud vos aut alios quoſcumque dominos, nolo verecundari ire pro eleēmoſynis; imò magnam hoc reputo nobilitatem & regalem judico eſſe dignitatem, & in honorem vergere illius qui cùm omnium Dominus eſſet, pro nobis fieri voluit omnium ſervus: & cùm in glorioſa majeſtate ſua omnibus abundaret, in noſtra humanitate deſpectus & pauper cunctis indigebat. Volo ergo quòd fratres omnes præſentes & futuri apertè ſciant, quòd pro magna corporis & animæ conſolati-

one

one habeo quando ad pauperum menſam ſedeo;& maiori circumdor gaudio quando ante me video poſitas in menſa pauperculas eleëmoſynas, quæ acquiruntur pro amore Dei oſtiatim, quàm cùm ad veſtram vel aliorum menſam lautis dapibus & opiparis ferculis præparatam invitatus & quaſi invitus diſcumbo. Panis enim eleëmoſynæ, panis eſt ſanctus & benedictus, quem ſanctificat laus & amor Omnipotentis. Cùm enim frater eleëmoſynam petit, priùs dicit; Laudatus & benedictus ſit Dominus Deus: poſteà addit; Facite nobis eleëmoſynam pro amore Domini Dei. Laus panem ſanctificat,& amor Domini benedicit. *Quibus verbis Cardinalis compunctus maiorem concepit ad ſanctum Patrem devotionem.*

Et

Et ubicumque ſunt & ſe invenenerint fratres, oſtendant ſe domeſticos invicem inter ſe, & ſecurè manifeſtet unus alteri neceſſitatem ſuam &c.

ARTICVLVS IV.

De pace, hilaritate religiosa & ſancta affabilitate, quam habere debent Minores Fratres.

Exhortans ſuos fratres S. FRANCISCVS dicebat :(1) Multi ſunt qui orationibus & officiis inſiſtentes multas abſtinentias & afflictiones in ſuis corporibus faciunt ; ſed de ſolo uno verbo quod viderint injuriam eſſe ſuorum corporum, vel de aliqua re quæ ſibi aufertur, ſcandalizantur ſtatim & conturbantur. Hi non ſunt verè pauperes ſpiritu; quia qui verè pauper eſt ſpiritu

(1) In verb. Sac. admon. c. 14.

ritu, seipsum odit & alios diligit qui ipsum percutiunt in maxillâ. *Et alibi:* (1) Fratres diligant se invicem sicut Dominus dicit: (2) Hoc est præceptũ meum ut diligatis invicem sicut dilexi vos. Et ostendant ex operibus dilectionem quam debent ad invicem, sicut dicit Apostolus: (3) Non diligamus verbo aut linguâ, sed opere & veritate. Et sint modesti omnes, monstrantes mansuetudinem ad omnes homines, nec judicent nec condemnent. Et sicut dicit Dominus, non considerent minima peccata aliorum, imò magis sua recogitent in amaritudine animæ suæ. *Et in alio loco*: (4) Nec aliquis fratrum malum faciat vel malum dicat alteri; imò magis per charitatem spiritus voluntariè serviant & obediant invicẽ. *Et aliis verbis*: (5) Fratres faciant inter se sicut dicit Dominus: (6) Quæcumque vultis ut faciant

(1) In 1. Regul. c. 11. (2) *Ioan.* 15. 12.
(3) 1. *Ioan.* 3. 18. (4) In 1. Regul. c. 5.
(5) In 1. Regul. c. 4. (6) *Matth.* 7. 12.

ciant vobis homines, & vos facite illis. Et quod tibi non vis fieri, non facias alteri. *Et alibi* : (1) Beatus homo qui sustinet proximum suum secundùm suam fragilitatem in eo quòd vellet sustineri ab ipso si in consimili casu esset. *Sic etiam aliâ vice dixit* : (2) Beatus ille qui tantum diligit fratrem suum cùm est longè ab ipso, sicut quando est cum eo ; & non diceret aliquid post ipsum quod cum charitate non posset dicere coram eo. *Et alio in loco* : (3) Et securè manifestet vnus alteri necessitatẽ suam, ut sibi necessaria inveniat & ministret. Et quilibet diligat & nutriat fratrẽ suũ, sicut mater diligit & nutrit filiũ suũ, in quibus Deus eis gratiam largiatur.

Ob id etiam cuidam sciscitanti cur semper faciem hilarem & latam haberet, respondit : (4) Aliquando mihi generant peccata mæstitiam: aliquando etiam tepidam & somnolentã mihi ingerere desiderat satan tristitiam

(1) In verb. Sacr. admon. c. 18. (3) Ibidem c. 24.
(3) In 1. Regul. c. 9. (4) Colloq. 27.

tiam, & ad meam torquetur lætitiam, invidetque mihi de beneficiis quæ à Domino accepi. Scio etiam & video, quòd cùm nocere mihi non possunt dæmones, student mihi nocere per socios meos, sanctam in eis extinguendo lætitiam. Si verò per me vel per socios meos mihi nocere non possunt, cum magna confusione recedunt. Quando verò me malæ tristitiæ aut acediæ invadit tentatio, considero lætitiam socii mei, & ad illius gaudium & hilaritatem spiritualem meam excutio tentationem & acediosam tristitiam, & ad interiorem lætitiam & exteriorem jucunditatem accendor.

Videns autem fratrem quemdam demisso tristiq; vultu incedentem, corripuit eum dicens: (1) De peccatis licèt te pœniteat, Frater, cur ostendis exteriùs de tuis offensis dolorem? Inter te & Deum habeas hanc tristitiam, & ora ipsum ut per suam misericordiam tibi parcat, & reddat animæ tuæ læti-

(1) Apophtheg. 18.

lætitiam salutaris sui quâ per peccatũ est priuata. Coram me verò & aliis ostendas te semper habere lætitiam; servo enim Dei non convenit exteriùs tristitiam ostendere aut faciem habere turbulentã.

Et si quis eorum in infirmitatem ceciderit, alii fratres debent illi servire sicut vellent sibi serviri.

ARTICVLVS VLT.

De charitate fratribus infirmis impendenda.

S*Vum circa hoc desiderium ostendens S. Pater dixit:* (1) Si quis fratrũ in infirmitatem inciderit, ubicumque fuerit, alii fratres non dimittant eum nisi constituatur vnus de fratribus, vel plures si necesse fuerit, qui serviant ei sicut vellent sibi serviri.

I Et

(1) In 1. Regul. cap. 10.

Et alio in loco: (1) Beatus servus, qui tantũ diligit fratrem suum quãdo est infirmus, quòd non potest ei satisfacere, quantùm quando est sanus quòd potest ei satisfacere.

Tantam autem charitatem erga pauperes & infirmos in corde servabat, ut dixerit cuidam fratri, pauperem importunè petentem duriùs alloquenti, ut se ad pauperis pedes nudatum prosterneret, suamq́ culpam fateretur, addiditq́: (2) Dum pauperem vides, ô frater, speculum tibi proponitur Domini & pauperis Matris ejus. In infirmis similiter infirmitates quas assumpsit, considera.

De

(1) In verb. sacr. admonit. cap. 24. (2) Colloq 25.

De Pœnitentia fratribus peccantibus imponenda.

CAPVT VII.

SI qui fratrum instigante (1) inimico mortaliter peccauerint, pro illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit inter fratres ut recurratur ad solos Ministros Prouinciales, teneantur prædicti fratres ad eos recurrere quàm citiùs poterunt sine mora. Ipsi verò Ministri si Presbyteri sint, (2) cum misericordia injungăt

 illis

(1) Sumitur ex illo *Matth.* 13. 39. Inimicus qui seminauit, & est diabolus &c. (2) Habetur *Matth.* 9. 13. Dixit, Quid est misericordiam volo &c.

illis pœnitentiam. Si verò Presbyteri non sint, injungi faciant per alios Sacerdotes Ordinis, sicut eis secundùm Deum meliùs videbitur expedire. Et cauere debent, ne (1) irascantur vel conturbentur propter peccatum alicujus, quia ira & conturbatio in se & in aliis impediunt charitatem.

(1) Sumitur ex illo *Luc.* 9. 54. Vis dicimus ut ignis descendat de cælo & consumat illos? Et conversus increpavit illos &c.

SUMMARIA EXPOSITIO huius Capitis.

IN hoc Capite est unum mandatum habens vim præcepti, quòd videlicet fratres peccantes pro casibus reservatis recurrant ad Ministros. Suntque duæ exhortationes: Prima, quòd Ministri cum misericordia injungāt pœnitētias: Secunda, quòd non irascantur propter peccatum alicujus.

DE-

DECLARATIO
hujus Capitis facta à S. P. N. FRANCISCO.

Si qui fratrum instigante inimico mortaliter peccaverint, pro illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit inter fratres ut recurratur ad solos Ministros Provinciales, teneantur ad eos recurrere quàm citiùs poterunt sine mora &c. usque ad finem Capituli.

ARTICULUS UNICUS.
De misericordia in Prælatis erga delinquentes.

Seraphicus Pater Ministris misericordiam persuasit dicens: (1) Caveant Ministri, quòd propter

(1) In 1. Reg. c. 5.

propter peccatum alterius vel malum exemplum non turbentur vel irascantur, quia diabolus propter delictum unius vult multos corrumpere: sed spiritualiter, sicut possunt, adjuvent eum qui peccavit; quia non est sanis opus medicus, sed malè habētibus. *Et alio in loco:* (1) Qui potestatem judicii receperunt, judicium cum misericordia semper exerceāt, sicut ipsi vellent à Domino misericordiam obtinere. (2) Judicium enim sine misericordia erit illi, qui non facit misericordiam.

Debent itaque Ministri diligenter considerare propriam fragilitatem, & sic abundanter delinquentibus misericordiam exhibere, quod suo exemplo docuit S. Franciscus. *Cùm enim* B. Leo *ex ejus mandato multis eum convitiis affecisset, interrogatus Sanctus, cur tanta mendacia in se innocentem dicere præcepisset, respondit:* (3) Nihil mentitus es, quoniam sum peccatorum maximus; & hæc omnia eram, & multò pejor futurus, nisi me divina misericordia

(1) Epist. 2. c. 6. (2) Jac. 2. 13. (3) Apophthegm. 19.

dia ab iis malis per suam gratiam servâsset immunem. Qui si maximo latroni illam gratiam fecisset quam mihi, is multò meliùs eâ usus fuisset, sanctiorque quàm ego evasisset.

At de hac misericordia peccantibus impertienda, videatur primus articulus Capitis decimi, in quo fusissimè adstruitur.

De electione Generalis Ministri hujus Fraternitatis, & de Capitulo Pentecostes.

CAPUT VIII.

Universi fratres (1) unum de fratribus istius Religionis teneatur semper habere in

(1) Sumitur ex *Matth.* 23. 10. Unus est Magister vester.

in Generalem [1] Ministrum & servum totius [2] Fraternitatis, & ei teneantur firmiter obedire. Quo decedente electio successoris fiat à Ministris Provincialibus & Custodibus in Capitulo Pentecostes, in quo Provinciales Ministri teneantur semper in-simul cóvenire, ubicumque à Generali Ministro fuerit constitutum. Et hoc semel in tribus annis, vel ad alium terminum majorem vel minorem, sicut à prædicto Ministro fuerit ordinatum. Et si aliquo tempore appareret universitati Ministrorum Provincialium & Custo-

(1) Sumitur ex *Matth.* 23. 11. Qui major est vestrûm, erit minister vester. (2) Ibidem v. 8. habetur: Omnes vos fratres estis.

Custodum, prædictum Ministrum non esse sufficientem ad servitium & communem [1] utilitatem fratrum, teneantur prædicti fratres quibus electio data est, in nomine Domini alium sibi eligere in Custodem. Post Capitulum verò Pentecostes, Ministri & Custodes possunt singuli, si voluerint & eis expedire videbitur, eodem anno in suis Custodiis semel fratres suos ad Capitulum convocare.

(1) Sumitur ex illo *Matth.* 25. 26. Serve male & piger &c. Tollite itaque ab eo talentum &c. Ев. 30. Inutilem servum ejicite. Et *Luc.* 19. 22.

SUMMARIA EXPOSITIO hujus Capitis.

IN hoc Capite sunt tria mandata habentia vim præcepti. Primum, De habendo semper unum Generalem Ministrum. Secundum, Quòd Pro-

Provinciales & Custodes accedant ad celebrandum Capitulum Generale Pentecostes, in-simul convenientes in loco constituto à Generali Ministro. Tertium, De alio Prælato eligendo ob insufficientiam electi. Est etiam una libertas Regulæ pro Ministris & custodibus, ut possint si eis expedire videbitur, Capitulum in suis Custodiis convocare. Præceptum autem illud formale, quòd fratres debeant obedire Generali Ministro, includitur in primo & decimo Capite.

DECLARATIO *hujus Capitis facta à S. P. N. FRANCISCO.*

Vniversi fratres unum de fratribus istius Religionis teneantur semper habere in Generalem Ministrum & servum totius Fraternitatis, & ei teneãtur firmiter obedire &c. usque ad finem Capituli.

ARTICVLVS VNICVS.

De conditionibus quibus pollere debet Minister Generalis.

PRolixè *quidem & seraphicè adstruit* S. P. Franciscus *Generalis Ministri conditiones dicens*: (1) Tā magni & multimodi exercitus ducem, tā magni & dilatati gregis pastorem, Filii mei, nullum sufficientem intueor; sed unum in quo reluceat qualis debeat esse istius familiæ dux & pastor, vobis depingam. Homo iste debet esse vitæ gravissimæ, discretionis magnæ, famæ laudabilis, privatis affectionibus carens, ne dum in parte plùs diligit, in totum scandalum generet. Homo qui sanctæ orationis sit amicus, ita tamen quòd certas horas animæ suæ, certas gregi sibi commisso distribuat. Nam primo manè debet sanctissimum Sacrificium Missæ præ-

(1) Collat 26.

præmittere, & ibidem longâ devotione ſeipſum & gregem divinæ protectioni affectuoſiùs commendare. Poſt orationem verò ſeipſum ſtatuat ab omnibus depilandum, omnibus reſponſurum, omnibus cum charitate, patientia, manſuetudine proviſurum. Non debet eſſe acceptator perſonarum, ita quòd non minùs curet de ſimplicibus & idiotis, quàm de ſcientibus & ſapientibus. Cui ſi donum ſcientiæ eſt conceſſum, tamen plùs in moribus pietatis & ſimplicitatis, patientiæ & humilitatis imaginē ferat. Foveatque virtutes in ſe & in aliis, atque in practicando eas continuè ſe exerceat, ad hæc alios plùs exemplo quàm ſermonibus incitando. Sit execrator pecuniæ, quæ noſtræ profeſſionis & perfectionis eſt præcipua corruptela: & tamquam caput & exemplum imitandum ab omnibus, nullis umquam loculis abutatur. Sufficiant autem ſibi pro ſe habitus & libellus; pro aliis verò ſcriptorium

& ſigil-

& sigillum. Non sit aggregator librorum, nec lectioni multùm intentus; ne fortè detrahat officio quod prærogat studio. Consoletur piè afflictos, cùm sit ultimum remedium tribulatis, ne si apud eum defuerint remedia sanitatis, desperationis morbus prævaleat in infirmis. Ut protervos flectat ad mansuetudinem, seipsum prosternat & aliquid sui juris relaxet, ut animas Christo lucrifaciat. Ad refugas Ordinis velut ad oves quæ perierunt, viscera pietatis expandat, & numquam misericordiam neget illis, sciens tentationes illas per validas quæ ad tantum casum possunt impellere animam; quas si ipsum permitteret Dominus experiri, fortè in majus præcipitium laberetur. Vellem ipsum tamquam Christi Vicarium ab omnibus cum devotione & reverentia honorari, atque sibi in omnibus & ab omnibus cum omni benevolentia, juxta ejus necessitatem & status nostri condecentiam, pro-

videri. Verumtamen oportet eum non arridere honoribus, neque favoribus plùs quàm injuriis delectari; ita quòd propter honores non mutentur ejus mores, nisi in melius. Si quando verò propensiori & meliori cibo indigeret, non in absconso sed in publico loco assumat, ut aliis tollatur verecundia providendi sibi in infirmitatibus & debilitatibus suis. Ad eum maximè pertinet latentes conscientias distinguere, & ex occultis venis eruere veritatem. Omnes accusationes in principio habeat suspectas, donec veritas ex diligenti examinatione incipiat apparere. Aures etiam non præbeat multiloquiis; & multiloquos in accusationibus specialiter habeat suspectos, nec faciliter credat eis. Talis denique debet esse, quòd propter cupiditatem retinendi honorem, virilem formam justitiæ & æquitatis nullatenùs inficiat vel relaxet. Ita tamen quòd ex nimio rigore nullius anima occidatur, & ex super-

ſuperflua manſuetudine non naſcatur torpor, atque ex laxa indulgentia non proveniat diſſolutio diſciplinæ; ſicque ab omnibus timeatur ut ab ipſis timentibus diligatur. Officium autem prælationis ſemper putet & ſentiat ſibi fore potiùs oneri quàm honori. Vellem etiam eum habere ſocios præditos honeſtate, rigidos adversùs voluptates, fortes in anguſtiis & compaſſivos delinquentibus; habentes æqualem affectionem ad omnes; & nihil de labore ſuo recipientes niſi puram corporis neceſſitatem; & nihil appetentes niſi laudem Dei, Ordinis profectum, animæ propriæ meritum & fratrum omnium perfectam ſalutem; omnibus convenienter affabiles, & omnes cõveniẽtes ad eos cum ſancta jucunditate recipientes, atque formam & exemplum obſervantiæ Evangelii juxta profeſſionem Regulæ in ſemetipſis purè & ſimpliciter omnibus oſtendentes. Ecce talis debet eſſe Gene-

ralis Minister, & tales debet habere socios.

ROGAS I. *Quæ debeat esse misericordia & patientia Ministri Generalis?* *Respondet* S. Franciscus *scribens ad Ministrum Generalem Ordinis:* (1) Dominus te custodiat, mi Frater Generalis Minister totius Ordinis, & in sancta sua charitate conservet. Patientiam in omnibus operibus tuis, mi Frater, tibi commendo in tantum, quòd quicumque tibi impedimentum fecerit, omnia debes habere pro gratia; & ita velis & nō aliud. Et dilige eos qui ista faciunt tibi; & non velis aliud de eis, nisi quantum Dominus dederit tibi. Et in hoc dilige eos, ut velis quòd meliores sint Christiani. In hoc volo cognoscere, si tu diligis Dominum & me servū suum & tuum, si feceris istud; videlicet quòd non sit aliquis frater in mundo qui peccaverit quantumcumque potuerit peccare, quòd postquam viderit oculos tuos, numquam recedat sine misericordia

(1) Epist. 8.

sericordia tua. Et si non quæreret, tu quæras ab eo si vult misericordiam. Et si ille millies appareret posteà coram oculis tuis, dilige eum plusquàm me, ad hoc ut trahas eum ad bonum, & semper miserearis talibus. Et ista denunties Guardianis quando poteris, quod per te sic firmus es facere.

ROGAS II. Quo exemplo subditos suos erudire debeat Minister Generalis? Exemplari responsione satisfacit S. Franciscus; *suo enim socio interroganti cur tam magnam gubernans Religionem. corpus suum ita affligeret, & cibaria meliora sibi præparari non permitteret, dixit:* (1) Benè fateor, Frater, quòd corpori meo plura necessaria sunt; nec omnia quibus indiget, semper illi administro. Memini namque me positum à Domino in multorum formam & exemplum. Nolo ergo lautioribus nec abundantioribus cibis uti, sed paucis & pauperculis vesci: & in omnibus quæ ad vitam opus sunt, iis solum-

(1) Collog. 8.

modò gaudeo & delector quæ sanctam redolent paupertatem; alia verò quæcumque sumptuosa & delicata penitùs abhorreo.

Ita etiam dicere solebat: (1) Non putant fratres, quòd corpori meo necessaria non esset pitantia, sed quia oportet me formam esse & exemplũ omniũ fratrum, volo uti & esse contentus paucis & pauperculis cibis, & omnibus rebus aliis uti secundùm paupertatem, atque sumptuosa & delicata penitùs abhorrere.

Quòd idem adstruit alio in loco: (2) Me oportet esse formam & exemplum omnium fratrum, & ideò licèt corpori meo sit necessarium habere tunicam repetiatam, tamen considerare me oportet omnes alios fratres meos quibus idem istud necesse est, & ipsi forsitan non habent nec habere possunt. Unde in hoc me ostendam eis, ut ego patiar easdem necessitates

(1) In specul, c. 26. (2) Ibid. c. 19

cessitates quas & ipsi patiuntur; ut hoc videntes in me magis patienter valeant sustinere.

De prædicatoribus.

CAPUT IX.

FRatres [1] non prædicent in Episcopatu alicujus Episcopi cùm ab eo illis fuerit contradictum. Et nullus fratrum populo penitùs audeat prædicare nisi à [2] Ministro Generali hujus Fraternitatis fuerit examinatus & approbatus

(1) Sumitur ex *Matth.* 10. 14 Quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros &c. Et *Luc.* 10. 10. (2) Exemplo Christi: Qui missus à Patre, cæpit prædicare, *Matth.* 4. 17. & *Luc.* 4. 14.

probatus, & ab eo officium prædicationis sibi concessum. Moneo quoque & exhortor eosdem fratres, ut in prædicatione quam faciunt, sint (1) examinata & casta eorum eloquia, (2) ad utilitatem & ædificationem populi, annuntiando eis vitia & virtutes, pœnam & gloriam cum brevitate sermonis, quia verbum abbreviatum fecit Dominus super terram.

(1) Sumitur ex illo *Matth.* 12. 35 Bonus homo de bono thesauro profert bona &c. v. 37. Ex verbis enim tuis justificaberis & condemnaberis &c.

(2) Habetur *Matth.* 5. 13. Vos estis sal terræ, & lux mundi &c.

SUMMARIA EXPOSITIO hujus Capitis

IN hoc Capite sunt duo præcepta æquipollentia. Primum, De non prædicando in Episcopatu, ubi ab Episcopo fuerit prædicatori contra-

tradictum. Secundum, De non prædicando sine examinatione, approbatione & concessione Ministri Generalis. Reliqua pertinent ad examinationem.

DECLARATIO
hujus Capitis facta à S. P. N. FRANCISCO.

Fratres non prædicent in Episcopatu alicujus Episcopi cùm ab eo illis fuerit contradictum.

ARTICVLVS I.

Qualiter se habere debeant prædicatores cum Prælatis & Clero Ecclesiarum.

S*Eraphicus Pater optimam circa hoc dedit doctrinam. Cùm enim fratres ab ipso ad prædicandum se ab aliquibus Episcopis repulsos & injuriis affectos conquererentur, & à* S. Francisco *peterent*

peterent ut privilegium obtineret à Summo Pontifice ad prædicandum ubique terrarum etiam Episcopis contradicentibus, ait S. piè increpans eos: (1) O Fratres mei, Dei voluntatem ignoratis, & mihi insipienter auferre vultis mundi victoriam. Vult enim Dominus JESUS Christus ut mūdum in profunda subjectione & humilitate vincam, & magno opere omnes animas ad ipsum traham per humilitatis exemplum. Fratres mei, omnes verbo convertetis, si omnibus, factis vos humiliatis. Qui vos impiè persequuntur, vestrâ probatâ patientiâ convertentur ad Christum, & vestrorum satagent pedum vestigia osculari. Nec tantùm debeo velle desiderare, sub spe salutis aliorum libertatem habere; quòd ego velim profundam humilitatem quæ statui meo competit, è medio tollere: quia in hoc & ego in virtute proficio, & populus in virtute firmatur. Decet ergo priùs per sanctam humilitatem & reverentiam populorum

(1) Colloq. 14.

pulorum convertere Prælatos,ut conversi videant & ament vitam vestram laudabilem & reverentiam ipsis exhibitam.Ipsi tunc rogabunt vos ut populo prædicetis, & omnes vestris interesse jubebunt concionibus.Plura præstabit humilitas,quàm possit elargiri privilegium. Si vos verè humiles viderint, & omninò ab avaritia alienos judicaverint Ecclesiarum Prælati, populumque induxeritis ut Ecclesiis sua jura reddant, ipsi vos rogabunt ut saluti populi provideatis, & omnium confessiones audiatis, licèt de hoc parùm vos curare desiderem: nam qui ad Dominum convertuntur & sua piacula deplorant, multos invenient quibus sua peccata revelent. Hoc modo Episcopos & Prælatos facilè vincetis.

ROGAS, Qualis esse debeat humilis & religiosa fratrum constantia, quando ab Episcopis prædicare prohibentur? Respondet suo admirabili exemplo S. Franciscus: *Petens namque ab Episcopo* Imolensi *prædicandi licentiam, asperam recepit*

cepit responsionem atque repulsam. Humiliter itaque recedens humillimè posteà denuò ad Episcopum rediit, qui quasi turbatus interrogavit eum, quid pro secunda vice à se petere vellet? cui S. demississimè respondit : (1) Domine, si pater filium uno pepulerit ostio, alio sibi reintrandum est. *Episcopus tantâ victus humilitate, amplexatus est eum dicens* : Tu & omnes fratres tui de cætero in Episcopatu meo generali meâ licentiâ prædicate, quia illud humilitas tua sancta promeruit.

(1) Colloq. 1.

Et nullus fratrum populo penitùs audeat prædicare, nisi à Ministro Generali &c.

ARTICVLVS II.

De insigni fructu prædicationum & operationum ex obedientia.

O*Mnia volebat S. P. ex obedientia fieri, ut essent magis proficua; dicere namque solebat:*

bat : (1) Tam uberem judico ſanctæ Obedientiæ fructum, ut eis qui jugo ejus colla ſubjiciunt, nullum abire poſſit tempus iners, nec ſine emolumento hora aliqua inaniter pertranſire.

(1) Oracul. 20.

Moneo quoque & exhortor eoſdem fratres, ut in prædicatione quam faciunt, ſint examinata & caſta eorum eloquia &c.

ARTICVLVS III.

De obſervandis in officio prædicationis.

SAnctus P. FRANCISCVS *ſuos informans de modo prædicandi ita locutus eſt* : (1) Conſideremus, Fratres chariſſimi, vocationem noſtram quâ vocavit nos miſericorditer

 Deus,

(1) Collat. 2.

Deus, non tantùm pro nostra sed pro multorum etiam salute, ut eamus per mundum exhortando omnes plùs exemplo quàm verbo, ad agendum pœnitentiam de peccatis suis, & ad habendam memoriam mandatorum Dei. Nolite timere quia pusilli & insipientes videmur, sed securi annuntiate simpliciter pœnitentiam, confidentes in Domino qui vicit mundum, quòd Spiritu suo loquetur per vos & in vobis, ad exhortandum omnes ut convertantur ad ipsum & ejus mandata observent. Caveamus qui reliquimus omnia, ne pro modico regnum cælorum perdamus; & si pecuniam in aliquo loco inveniamus, non curemus de illa plusquàm de pulvere quem calcamus. Non judicemus, neque despiciamus illos qui delicatè vivunt, & curiosè ac superfluè induuntur. Deus est noster ac ipsorum Dominus, potens illos ad se vocare & vocatos justificare. Tales ergo reverea-

mur

mur ut fratres & Dominos nostros. Fratres enim sunt, in quantum ab uno Creatore creati; Domini verò sunt, in quantum bonos adjuvant ad pœnitentiam faciendam, eis necessaria corpori administrantes. Ite ergo annuntiantes hominibus pacem, prædicantes pœnitentiam in remissionem peccatorum. Invenietis quosdam homines fideles, mansuetos & benignos; qui cum gaudio vos & verba vestra recipient; ac per oppositum alios infideles, superbos, blasphemos, qui exprobrantes resistent vobis & his quæ dicetis. Ponite ergo in cordibus vestris, patiēter & humiliter omnia tolerare. Nolite tamen timere, quoniā non post multū tempus venient ad vos multi sapientes & nobiles, eruntque vobiscū prædicantes regibus & principibus & populis multis. Estote ergo in tribulationibus patientes, in orationibus vigiles, in laboribus strenui, in sermonibus modesti, in moribus gra-

ves,& in beneficiis grati: quia pro his omnibus vobis regnũ Dei præparatur æternũ,quod nobis concedat ille qui vivit & regnat Trinus & Unus, & absque dubio concedet si emissa servaverimus vota nostra quæ illi voluntariè spopondimus.

ROGAS I. *Qualis esse debeat prædicatoris vita ut fructum faciat prædicando? Respondet* S. P. FRANCISCVS : (1) Tantum habet homo scientiæ quantum operatur;& tantum est Religiosus bonus orator quantum ipse operatur: arbor namque ex fructu cognoscitur. *Sic etiam interrogatus à quodam sacræ Theologiæ Doctore sacri Ordinis Prædicatorii, quomodò ille locus* Ezechiëlis *esset intelligendus,* (2) Si non annuntiaveris impio, ut avertatur à via sua impia & vivat; ipse impius ex iniquitate sua morietur, sanguinem autem ejus de manu tua requiram; *respondit* S. P. (3) Si verba hæc debent generaliter intelligi,ego illa ita censeo declaranda; quòd servus Dei sic debet vitâ & exemplo

(1) Oracul. 7. (2) Ezech. 3. 18. (3) Colloq. 39.

emplo in seipso ardere & fulgere, ut luce exempli & linguâ sanctæ conversationis omnes impios reprehendat; Sic enim splendor vitæ ejus & odor famæ ipsius annuntiabit omnibus iniquitates suas; cujus oppositum si fecerit populos aut proximos scandalizando, divinæ ultionis non evadet judicium.

ROGAS II. *Quodnam studium magis debeat à prædicatore exerceri, scientiæ an humilitatis & orationis? Respondet* B. P. *suos instruens prædicatores:* (1) Multi sunt fratres, qui totum suum studium & totam suam solicitudinem ponunt in acquirendo scientiam, dimittentes vocationem suam sanctam, extra viam humilitatis & sanctæ orationis mente & corpore evagando: qui cùm populo prædicaverint, & noverint aliquos inde ædificari vel ad pœnitentiam converti, inflantur & extollunt se de opere & lucro alieno, cùm tamen magis in condemnationem & in præjudicium suum

(1) Collat. 16.

prædicaverint, & nihil ibi secundùm veritatem operati fuerint, nisi tamquam instrumenta illorum per quos verè Dominus fructum hujusmodi acquisivit. Nàm quos credunt propter scientiam & prædicationem suam ædificari & ad pœnitentiam converti, Dominus orationibus & lachrymis sanctorum pauperum, humilium & simplicium fratrum ædificat & convertit, licèt ipsi sancti fratres ut plurimùm hoc ignorent. Sic enim est voluntas Dei, ut illud nesciant ne inde valeant superbire.

ROGAS III. *Quas conditiones habere debeant prædicatores, & quæ debeat eis reverentia exhiberi? Respondet* S. P. FRANCISCVS: (1) Volo, Fratres charissimi, ministros verbi Dei tales esse, ut studiis intendentes spiritualibus, nullis aliis officiis impediantur. Hi enim à magno Rege electi sunt ad edicta quæ ex ejus ore procedunt, populis demandanda. Priùs ergo prædicator hauri-re

(1) Collat. 17.

re debet secretis orationibus quod postea sacris ostendat sermonibus, priùs intùs calescere quàm extrà verba proferre. Reverendum certè est hoc officium; & qui illud administrant, ab omnibus reverēdi. Isti vita sunt corporis, impugnatores dæmonum, mundi lucerna. Laudandi sunt prædicatores illi, qui pro tempore sibi sapiunt sibique gustant; illi verò malè sciunt dividere, qui prædicationi totum, devotioni verò nihil impendunt. Alii etiam plangendi sunt, qui vendunt sæpè quod faciunt, oleo vanæ laudis. Officium prædicationis, Fratres, Patri misericordiarum omni sacrificio est acceptius, maximè si studio fuerit charitatis impensum, ut ad id laboret prædicator magis exemplo quàm verbo, magis lachrymosâ prece quàm loquaci sermone. Plangendus proinde prædicator tamquam verâ pietate privatus, qui in prædicatione non animarum salutem sed propriam laudem quæris,

quærit, sive qui pravitate destruit vitæ quod ædificat veritate doctrinæ. Præferendus huic est frater simplex & elinguis, qui bono exemplo alios provocat ad bonum. (1)Donec sterilis peperit plurimos, inquit Prophetissa, & quæ multos habebat filios, infirmata est. Sterilis est pauperculus frater, qui generandi in Ecclesia filios non habet officium. Hic pariet in judicio multos, quia quos nunc privatis orationibus convertit ad Christum, suæ gloriæ tunc judex adscribet. Quæ multos habet filios, infirmabitur, quia prædicator vanus & loquax, qui multis nunc quasi sua virtute genitis gaudet, cognoscet tunc se nihil proprii habere in eis.

(1) 1. Reg. 2. 5.

De

De admonitione & correctione fratrum.

CAPUT X.

FRatres qui sunt Ministri & servi aliorum fratrum, (1) visitent & moneant fratres suos, humiliter & charitativè (2) corrigant eos, non præcipientes eis aliquid quod sit contra animam suam & Regulam nostram. Fratres verò qui sunt subditi, recordentur quòd propter Deum abnegaverunt proprias voluntates. Vnde

(1) Sumitur ex *Luc.* 22.32. Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. (2) Habetur *Matth.* 18.15. Corripe eum &c.

Vnde firmiter præcipio eis, ut [1] obediant suis Ministris in omnibus quæ promiserunt Domino observare, & non sunt contraria animæ suæ & Regulæ nostræ. Et ubicumque sunt fratres, qui scirent & cognoscerent se non posse Regulam spiritualiter observare, ad suos Ministros debeant & possint recurrere. Ministri verò benignè, & charitativè eos recipiant, & tantam familiaritatem habeant circa ipsos, ut dicere possint eis & facere sicut Domini servis suis. Nam ita debet esse, quòd Ministri sint [2] servi omniũ fratrũ. Moneo verò

rò

(1) Sumitur ex *Matth*: 5. 34. Reddes Domino juramenta tua. (2) Habetur *Matth*. 20. 27. Primus inter vos erit vester servus.

rò & exhortor in Domino IESV Christo, ut caveant fratres ab omni (1) superbia, (2) vana gloria, (3) invidia, (4) avaritia, (5) cura & solicitudine hujus sæculi, (6) detractione & murmuratione. Et non curent nescientes litteras, litteras discere; sed attendant quòd super omnia desiderare debent habere (7) spiritum Domini, & ejus san-

(1) Quia dicitur *Luc.* 1. 51. Dispersit superbos mente cordis sui. (2) Quia dicitur *Matth.* 6, 1. Ne justitiā vestrā faciatis corā hominibus ut videamini &c. (3) Quia dicitur *Matth.* 27. 18. & *Marc.* 15. 10. quòd Christus per invidiam traditus fuit. (4) Habetur *Luc.* 12. 15. Cavete ab omni avaritia. (5) Habetur *Luc.* 21. 34. Attendite ne graventur corda vestra &c. & curis hujus vitæ &c. Et *Matth.* 13. 22. Solicitudo sæculi istius & fallacia divitiarum suffocat verbum Dei. (6) Habetur *Joan.* 6. 43. Nolite murmurare &c. (7) Sumitur ex *Joan.* 16. 13. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.

ſanctam (1) operationem, (2) orare ſemper ad Deum puro corde, habere humilitatem & patientiam (3) in perſecutione & infirmitate, & diligere eos qui nos perſequuntur, reprehendũt & arguunt. Quia dicit Dominus: (4) Diligite inimicos veſtros & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos. (5) Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam, quoniã ipſorum eſt regnum cælorum. (6) Qui autem perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.

SUM-

(1) Sumitur ex *Joan.* 6. 27. Operamini non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam &c.
(2) Habetur *Luc.* 18. 1. Oportet ſemper orare.
(3) Sumitur ex *Luc.* 21. 19. In patientia veſtra &c.
(4) Habetur *Matth.* 5. 44. Et *Luc.* 6. 27. & 28.
(5) Sumitur ex *Mat.* 5. 10. (6) Habetur *Mat.* 10. 22.

SUMMARIA EXPOSITIO
hujus Capitis

IN hoc Capite sunt duo præcepta. Unum formale; nempe Quòd fratres obediant suis Ministris in omnibus quæ promiserunt,& non opponuntur animæ & Regulæ. Alterum æquipollens; Quòd fratres possint & debeant ad suos Ministros recurrere, quando sunt in loco, ubi non possunt Regulam spiritualiter observare. Reliqua sunt admonitiones & exhortationes.

DECLARATIO
hujus Capitis facta à S. P. N. FRANCISCO.

Fratres qui sunt Ministri & servi aliorum fratrum, visitent & moneant fratres suos, humiliter & charitativè corrigant eos, non præcipientes eis aliquid quod sit contra animam suam & Regulam nostram.

ARTICVLVS I.

De conditionibus Ministrorum in visitatione & correctione fratrum.

Optimam tradidit S. P. doctrinam pro Ministris Provincialibus quando visitant & corrigunt fratres suos, dicens: (1) Vellem, Fratres, Provinciales Ministros affabiles esse minoribus, & tantâ benevolentiâ præditos, ut eorum affectui non vereantur se committere delinquentes. Vellem eos moderatos esse in præceptis, propitios in offensis, ferre magis peccatores quàm inferre injurias; hostes vitiis, medicos vitiosis. Tales denique esse vellem, quorum vita cæteris esset spectaculum disciplinæ. *Sic etiam alio in loco*: (2) Cui autem obedientia impendenda est & commissa, & qui pro majore habetur, videat ut minor fiat & aliorum fratrum servus, & in singulos

(1) Collat. 27. (2) Epist. 2. c. 9.

ſingulos ſubditos miſericordiam operetur, quantam ſibi vellet cùm eſſet ſubditus. Nec ex delicto fratris iraſcatur in fratrem, ſed omni patientiâ & humilitate benignè corrigat, moneat & ſupportet.

ROGAS I. Quantam manſuetudinem exhibere debeat Superior fratribus delinquentibus & pœnitentibus? Reſpondet Seraphicus Pater ſcribens fratri Eliæ *Ordinis Vicario, biennio ante ſuum obitum poſt accepta ſacra ſtigmata manibus à Chriſto plagatis, hæc dicens:* (1) Frater, det tibi Dominus ſuam benedictionem. In omnibus ſis patiens & benè diſpoſitus. Si in aliquo à fratribus tuis offenderis, accepta referas Deo. In hoc ſolùm cognoſcam ſi es ſervus Dei, ſi errantem fratrem miſericordiâ reducas ad Deum, & ſi graviter errantem amare non deſieris. Et ſi aliquo timore humano id attentare non audeat, pete ab eo ſi miſericordiam cupiat. Et ſi aliquis ſuadente diabolo ceciderit in aliquod grave peccatum, recurrat ad

(1) Epiſt. 6.

Guardianum;ille verò transmittat ad Provincialem qui misericorditer recipiat; & si viderit illum esse contritum, dicat illi, Vade & noli ampliùs peccare.

Idipsum eidem denuò inculcat his verbis: (1) In omnibus, Frater *Elia*, quæ feceris, plurimùm tibi commendo charitatem & patientiam;multos enim te tolerare oportet, & onus quod humeris portas, magnum est & grave, animas videlicet multorum. (2) In lege veteri summus Sacerdos portabat in Rationali judicii, quod ex humeris super pectus pendebat, nomina duodecim tribuum Israël; significans in hoc, quòd ut Prælatus subditos suos in humeris portet, necesse est eos in pectore gestet; nam tolerare non poterit, quos amare desierit. (3) JESUS Christus Dominus noster, quando voluit *Petro* dare Ecclesiam suam, priusquàm oves traderet illi, eum de amore examinavit. Vide ergo,ne ullus fratrum peccet; sed si pec-

(1) Epist. 7. (2) Exod. 28. 29. (3) Ioan. ult. v. 15.

peccaverit, à facie tua non abeat sine misericordia & correctione; & quia medicus es, offer infirmo medicinam; quoniam ut dixit Dominus, (1) Non est opus benè habentibus medicus, sed malè habentibus. Vigila, admone, labora, pasce, ama, expecta, time.

Quod totum scribit etiam Generali Ministro Ordinis in hac verba: (2) Dominus te custodiat, & in sancta sua charitate conservet: Patientiam in omnibus operibus tuis, mi Frater, tibi commendo; in tantum, quòd quicumque tibi impedimentum fecerit, sive fratres sive alii, etiam si te verberent, omnia debes habere pro gratia, & ita velis & non aliud. Et dilige eos qui ista faciunt tibi, & non velis aliud de eis nisi quantum Dominus dederit tibi. Et in hoc dilige eos, ut velis quòd sint meliores Christiani. In hoc volo cognoscere si tu diligis Dominum & me servum suum & tuum, si feceris istud; videlicet, quòd non

(1) Matth. 9. 12. (2) Epist. 8.

ſit aliquis frater in mundo qui peccaverit quantumcumque potuerit peccare, quòd poſtquàm viderit oculos tuos, numquam recedat ſine miſericordia tua. Et ſi non quæreret, quæras ab eo ſi vult miſericordiam. Et ſi ille millies appareret poſteà coram oculis tuis, dilige eum pluſquàm me, ad hoc ut trahas eum ad bonum, & ſemper miſerearis talibus. Et iſtud denunties Guardianis quando poteris, quòd per te ſic firmus es facere. Et omnes fratres qui ſcirent eum peccâſſe, non faciant verecundiam ei nec detractionem, ſed magis miſericordiam habeant circa ipſum, & teneant privatum peccatum fratris ſui; quia (1) non eſt opus ſanis medicus, ſed malè habentibus. Si quis fratrum inſtigante inimico mortaliter peccaverit, per obedientiam teneatur recurrere ad Guardianum ſuum: & Guardianus ſimiliter per obedientiam teneatur eum

(1) Matth. 9. 12.

eum mittere Custodi. Ipse verò Custos misericorditer provideat ei, sicut ipse vellet provideri sibi in consimili casu. Et isti penitùs non habeant potestatem injungendi aliam pœnitentiam nisi illam, Vade & noli ampliùs peccare. Ista fac & vale.

Idem tandem Ministris Provincialibus magna asseveratione commendat, sic ad ipsos scribens: (1) In regimine vestro, Fratres Ministri, duo vos deprecor. Primum, Quòd non sitis personarum acceptatores. Secundum, Quòd non præcipiatis facilè per sanctam Obedientiam, quia hoc est statim gladium evaginare, quod non debet fieri nisi maturâ consideratione & magnâ occasione. In mandatis moderati, in peccatores misericordes, in condonando faciles, in victu abstinentes, in vestitu pauperes, in verbis mansueti, Deo & officiis fideles estote. Ex operibus verba & præcepta eruite, si vultis quòd subditi ex verbis

(1) Epist. 9.

bis facienda depromant,& quod ore præcipitis, illi ope compleant.

ROGAS II. An deceat Superiorem impetuosa & violenta correctio etiam in communibus Ordinis relaxationibus? Respondet B. P. verbis & exemplo admirabiliter : Nam postquàm deposuit Generalis officium, fratribus ipsum urgentibus quòd aliorum toleraret defectus, ita effatus est: (1) Quidam ex vobis, Fratres, admirantur & me interrogant, quarè non corrigo defectus qui in Ordine fiunt? Quibus indulgeat Dominus, quoniam mihi contrarii sunt & adversarii, & me implicare volunt in his quæ non pertinent ad officium meum. Quousque enim habui Prælationis officium super fratres, & ipsi permanserunt in vocatione & professione sua; licèt à principio conversionis meæ semper infirmus fuerim, cum parva mea solicitudine satisfaciebam eis exemplis & prædicationibus. Sed postquàm consideravi quòd Dominus multiplicavit numerum fratrum,

(1) Collat. 25.

fratrum, & ipsi propter tepiditatem & inopiam ſpiritus incipiebant declinare à via recta & ſecura per quam conſueverant ambulare, & per ampliorem viam quæ ducit ad mortem incedentes non attendebant vocationem & profeſſionem ſuam & bonum exemplum; nec volebant dimittere iter periculoſum & mortiferum quod ceperant, propter prædicationem & admonitionem meam & exemplum meum quod illis continuè oſtendebam; ideò recommendavi Ordinis Prælationem & regimen Domino & Miniſtris. Unde licèt tempore quo renuntiavi officio fratrum, excuſarem me coram fratribus in Capitulo Generali, quòd propter infirmitates meas curam de ipſis habere non poteram: tamen ſi ſecundùm voluntatem meam fratres vellent ambulare nunc, propter ipſorum conſolationem & utilitatem nollem quòd alium Miniſtrum haberent niſi me, uſque ad diem mortis

mortis meæ. Si enim bonus & fidelis subditus voluntatem Prælati sui cognoscit & observat, parvam solicitudinem oportet Prælatum habere de ipso. Imò tantum gauderem de bonitate fratrum propter lucrum ipsorum, & meum: quòd si jacerem in lecto infirmus, non me pigeret satisfacere eis, quia officium meum, id est Prælationis, est spirituale tantùm; videlicet dominari vitiis, & ipsa spiritualiter corrigere & emendare. Postquàm autem ipsa emendare & corrigere prædicatione, admonitione & exemplo non possum, nolo carnifex fieri ad puniendum & flagellandum sicut potestates hujus sæculi: Sed confido in Domino, quòd adhuc inimici invisibiles, qui sunt castaldi Domini ad puniendum in hoc sæculo & in futuro eos qui transgrediuntur mandata Dei, sument de ipsis vindictam; facientes illos corrigi ab hominibus hujus sæculi in opprobrium & verecundiam ipsorum;

sorum;& revertentur ad professionem & vocationem suam. Verumtamen usque ad diem mortis meæ non cessabo exemplo & operatione docere fratres ambulare per viam quam mihi Dominus ostendit, quam & ego jam docui & ostendi eis verbo & exemplo, ut sint inexcusabiles coram Domino;& ego non teneor de ipsis ulteriùs coram Domino reddere rationem.

Rogas III. An debeant Prælati Ordinis à frequenti præceptorum interminatione abstinere? Respondet S. P. in hæc verba : (1) Raro per obedientiam præcipiendum est Prælatis; nec primò fulminandum est jaculum, quod debet esse extremum. Ad ensem non statim est mittenda manus. Qui verò ensem non timet, aut subditus qui obedientiæ præcepto non obedire festinat, nec Deum timet nec homines reveretur, si omninò non habet causam in obediendo retardandi. Prælatus ergò non debet esse

(1) Oracul. 19.

esse temerarius in præcipiendo; nam quid in temerario præceptore auctoritas imperandi, nisi gladius in manu furiosi? Quid verò desperatius quàm obedientiæ neglector aut contemptor.

ROGAS IV. *Quam districtionem subituri sint Prælati asperè corrigentes? Respondet Seraphicus Pater, qui postquàm officium prælationis resignavit* F. Petro Cataneo, *cernens fratres ob id dolentes & gementes, elevatis oculis in cælum junctisq; manibus dixit*: (1) Domine recommendo tibi familiam quam mihi hactenùs commisisti; & nunc propter infirmitates quas tu nosti, dulcissime Domine, curam ipsius habere non valens, eam recommendo Ministris, qui teneantur in die judicii coram te Domine reddere rationem si quis frater propter eorum negligentiam vel malum exemplum vel asperam correctionem perierit.

(1) In specul. c. 33.

Fratres

Fratres verò qui sunt subditi, recordentur quòd propter Deum abnegaverunt proprias voluntates. Vnde firmiter præcipio eis ut obediant suis Ministris in omnibus quæ promiserunt Domino observare &c.

ARTICVLVS II.

De conditionibus perfectæ Obedientiæ.

DOcens S. P. FRANCISCVS *perfectæ Obedientiæ formam sic alloquebatur fratres suos:* (1) Dixit Dominus in Evangelio, (2) Qui non renuntiaverit omnibus quæ possidet, non potest meus esse discipulus: & (3) Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam. Ille homo renuntiat omnibus quæ possidet, & perdit corpus N suum

(1) In verb. sac. admonit. c. 3. (2) Luc. 14. 33. (3) Matth. 16. 25.

ſuum, qui ſeipſum totum præbet ad obedientiam in manibus ſui Prælati; & quidquid facit aut dicit, quòd ipſe ſciat quòd non ſit contra voluntatem ejus (dum bonum ſit quod facit) vera obedientia eſt.

Aliquando etiam interrogatus quis eſſet judicandus verus obediens, reſpondit: (1) Tolle corpus exanime, & ubi placuerit pone; videbis non repugnare motum, non murmurare ſitum, non reclamare dimiſſum: quòd ſi ſtatuatur in cathedra, non alta ſed ima reſpiciet, ſi collocetur in purpura, duplò palleſcet. Hic, *ait*, verus obediens eſt, qui cur moveatur non judicat; ubi locetur non curat; ut tranſmutetur non inſtat; evectus ad officium ſolitam tenet humilitatem; plùs honoratus, plùs ſe reputat indignum. *Alio in loco dicit* S. P. (2) Vidi multoties cæcum quemdam, qui non habebat niſi caniculam pro duce itineris ſui. Caniculam quocumque ducebat, ſequebatur; ad illius ductum ambulabat,

(1) Exemplo 1. (2) Exemplo 2.

bulabat; viæ vel itineris hujus vel illius rationem non flagitabat à duce: Si præibat per petrosa, sequebatur; si per plateas & plana, comitabatur; si ad templum ducebat, orabat; si domos introibat, eleëmosynas petebat; ita ut omnia pro caniculæ voluntate faciebat, nec aliquò sine illius ductu pergebat. Talis esse debet verus & perfectus obediens. Ad obediendum cæcum esse expedit, oculos in obsequium Prælati claudere, & de præceptis non velit nec valeat discernere, nisi quod præcipitur, humiliter & promptè complere; quocumque Prælati præceptum vel voluntas præcedit, sequi; invia & petrosa pro Obedientiæ merito hilariter contemnere, ac si per plana ambularet, pergere. Non præcepti difficultatem, sed præcipiêtis auctoritatem & Obedientiæ meritum debet verus obediens in omnibus considerare.

ROGAS I. An vera obedientia debeat esse cæca? Respondet mirabili quodam exemplo Seraphicus

eus Pater. Duos namque qui venerant ad Religionis habitum ſuſcipiendum, introduxit in hortum dicens: (1) Venite mecum, & pro Religioſorum victu caulas plantate eo modo quo me facere videtis. *Et plantulis acceptis radices ſursùm agebat, folia verò terræ mandabat: Quem plantandi modum unus ex juvenibus obſervabat, alter verò exequi nolebat; & huic dixit B. Pater:* Frater, video quòd magnus es magiſter, vade viam tuam; ſimplicem & humilem Ordinem non decent ſimiles magiſtri, ſed ſimplices & fatui ſicut iſte ſocius tuus. Hic nobiſcum remanebit, te recipere non expedit.

Ita etiam inobedientem quemdam fratrem juſſit omnibus veſtibus ſpoliari, in altam conjici foveam & humari. Cui cùm fratres ad Dei viri monitum terram ſuper injicerent, cùm jam ſolum caput inhumatum remaneret, acceſſit pius Pater & ait: (2) Eſne mortuus frater? Eſne mortuus? *Cui ille inobedientiæ pœnitens;* Ita Pater, *inquit,* jam mortuus ſum. Surge, *inquit ille,* ſi verè mortuus es, & Prælato tuo ſicut debes,

(1) Colloq. 26. (2) Colloq. 40.

debes, ad nutum illius obedito, nec præcepto in aliquo repugnes, ſicut nec homo mortuus in aliquo contradicit. Mortuos, non vivos, ego meos volo ſectatores.

ROGAS II. Quàm magnum ſit nefas obedientiæ reluctari? Oſtendit expreßis verbis ſanctus FRANCISCVS : *Ipſo namque orante tempore Capituli. frater quidam obedientiæ ſe ſubdere nolebat, quem vidit in ſpiritu S.P. & vocans unum de fratribus, ait :* (1) Vidi, Frater, diabolum ſuper illius fratris inobedientis dorſum, collum ejus tenentem adſtrictum, qui tali ſeſſione ſubactus, obedientiæ fræno ſpreto, inſtinctus ejus ſequebatur habenas. Et cùm rogarem Deum pro fratre, ſubitò dæmon confuſus abſceſſit. Vade igitur, & dic fratri ut Obedientiæ ſanctæ jugo collum ſine mora ſubmittat.

ROGAS III. An pertineat ad perfectam obedientiam, reprehenſiones & pœnitentias à Prælato impoſitas patienter ſuſcipere; etiamſi nulla præceſſerit culpa? Reſpondet S. FRANCISCVS : (2) Beatus ſervus qui diſciplinam, accuſationem

(1) Colloq. 35. (2) In verb. sacr. admonit. c. 22.

tionem & reprehensionem ab aliquo ita patienter sustinet, sicut à semetipso. Beatus servus, qui benignè reprehensus acquiescit, verecundè obtemperat, humiliter confitetur & libenter satisfacit. Beatus servus qui non est velox ad se excusandum, & humiliter sustinet verecundiam & reprehensionem de peccato, ubi non commisit culpam.

ROGAS IV. Quid faciendum à subdito quando potest meliora facere quàm quæ suus Prælatus præcipit? Respondet B. Pater: (1) Quando subditus viderit meliora & utiliora animæ suæ quàm ea quæ suus Prælatus præcipiat, suam voluntatem sacrificet Domino; quæ autem sunt Prælati opera, studeat adimplere; nam hæc est charitativa obedientia, quia Deo & proximo sacrificium seipsum facit.

ROGAS V. Quid facere debet subditus, si Prælatus præcipiat aliquid contra animam & Regulam? Respondet S. Patriarcha: (2) Si quis Ministro-

(1) Ibidem c. 3. (2) In 1. Regul. c. 5.

nistrorum alicui fratrum aliquid contra vitam nostram præceperit, vel contra animam suam, non tenetur ei obedire, quia illa obedientia non est in qua delictum vel peccatũ committitur. *Et alibi:* (1) Specialiter Religiosi & qui sæculo renuntiaverunt, tenentur plura & majora facere, & ea dimittere quibus non est opus; & odio habere corpora nostra cum vitiis & peccatis, quia Dominus dicit in Evangelio, (2) Omnia mala à corde exeunt: (3) Diligere inimicos nostros, & benefacere his qui nos oderunt: Observare præcepta & consilia Redemptoris nostri; nosmetipsos abnegare, & corpora nostra ponere sub jugo servitutis & Obediẽtiæ. Et nullus tenetur ad Obedientiam in eo, ubi committitur delictum vel peccatum; quia tantùm ad id venimus, ut salvando animas nostras bonorum operum aliis exempla præbeamus.

RO-

(1) Epist. 2. c. 8. (2) Matth. 15. 18. (3) Luc. 6. 27.

ROGAS VI. An subditus licèt non obediat Prælato illicita præcipienti, debeat tamen illum spernere & derelinquere? Respondet Pater sanctus: (1) Si verò Prælatus præcipiat aliquid subdito contra animam suam, licèt ei non obediat, tamen ipsum non dimittat. Et si ab aliquibus persecutionem inde sustinuerit, magis eos diligat propter Dominum. Nam qui potiùs velit persecutionem sustinere quàm à suis fratribus separari, verè permanet in perfecta obedientia, quia ponit animam suam pro fratribus suis. Sunt enim multi Religiosi qui sub specie videndi meliora quàm quæ sui Prælati præcipiunt, aspiciunt retrò & ad vomitum propriæ voluntatis redeunt. Hi homicidæ sunt, & propter mala sua multas animas perdere faciunt.

(1) In verb. sacr. admonit. c. 3.

Et

Et ubicumque ſunt fratres, qui ſcirent & cognoſcerent ſe non poſſe Regulã ſpiritualiter obſervare, ad ſuos Miniſtros debeant & poſſint recurrere. Miniſtri verò benignè & charitativè eos recipiant, & tantam familiaritatem habeant circa ipſos, ut dicere poſſint eis & facere ſicut domini ſervis ſuis.

ARTICVLVS III.

Quando recurrere debeant fratres ad Prælatum ob impotentiam ſervandi Regulam.

DOcuit id S. P. FRANCISCVS paucis & ſubſtantialibus verbis dicens: (1) Fratres in qui-

(1) In 1. Regul. c. 6.

quibuſcumque locis ſunt, ſi non poſſunt vitam noſtram obſervare, quàm citiùs poſſunt, recurrant ad ſuum Miniſtrum hoc ipſi ſignificantes; Miniſter verò taliter ſtudeat eis providere ſicut vellet ſibi fieri ſi in conſimili caſu eſſet.

ROGAS: Quantam manſuetudinem & benignitatem oſtendere debeat Prælatus fratribus ad ſe recurrentibus in ſuis afflictionibus? Oſtendit maximo exemplo B. Pater; tentatus namque frater Rogerius *variis validiſq; tentationibus, è* Marchia *Anconitana* Aſſiſium *ad S. FRANCISCUM ultimâ infirmitate laborantem iter arripuit. Cognovit id cælitùs S. Patriarcha, mittenſq; fratres* Maſſæum *&* Leonem *in occurſum ejus, dixit ipſis:* (1) Ite obviam fratri *Rogerio* qui huc me viſum venit, & ex mea parte illum amplexantes dulciter, ſalutantes & oſculantes dicite illi, quòd ipſum præ omnibus fratribus qui degunt in univerſo mundo, totis viſceribus diligo. *Adventanti deinde fratri* Rogerio *paterno affectu brachia dedit dicens:* Chariſſime fili *Rogeri*, inter omnes fratres

(1) Colloq. 20.

tres qui sunt in toto mundo, te ex toto corde intimè diligo. *Et Crucis signum imprimens fronti ejus, & osculo eidem insigens ait:* Charissime fili, hæc tentatio data est tibi ad maximum profectum. Sed si non vis ampliùs hujusmodi lucrum, nulla tibi in posterũ superveniet tentatio aut afflictio. *Statimq; evanuit tentatio, & nulla posteà supervênit afflictio.*

Moneo verò & exhortor in Domino IESV Christo, ut caveant fratres ab omni superbia & vana gloria.

ARTICVLVS IV.

De regulis vitandi in Religione superbiam & vanam gloriam.

S*Eraphicis verbis P. Seraphicus fratres suos contra superbiam & vanam gloriam erudivit* di-

dicens: (1) Beatus servus qui thesaurizat in cælo bona quæ sibi Dominus ostendit, & sub spe mercedis non cupit ea manifestare hominibus. Quia ipse Altissimus manifestabit opera ejus quibuscumque placuerit. Beatus servus qui secreta Domini observat in corde suo. Hæc igitur sunt verba vitæ & salutis: quæ si quis elegerit & fecerit, inveniet vitam & hauriet salutem à Domino. Amen. *Alio in loco*: (2) Beatus ille servus qui non loquitur sub spe mercedis, & omnia sua non manifestat, & non est velox ad loquendum, sed sapienter providet quæ debet loqui & respondere. Væ illi Religioso, qui bona quæ sibi Dominus ostendit, non retinet in corde suo, & aliis non ostendit per operationem; sed sub spe mercedis magis hominibus verbis cupit ostendere quàm Domino; ipse enim recipit mercedem suam, & audientes parvum fructum reportant.

Et

(1) In verb. Sacr. admonit. c. 27. (2) Ibidem c. 21.

Et alibi: (1) Beatus ille servus, qui non magis se exaltat de bono quod Dominus dicit & operatur per ipsum, quàm de eo quod dicit & operatur per alium. Peccat enim homo, qui magis vult recipere à proximo suo, quàm vult dare de se Domino Deo. *Et rursùs:* (2) Non simus secundùm carnem sapientes atque prudentes, sed simplices, humiles & puri. Et habeamus corpora nostra in opprobrium & despectum, quia omnes per culpam nostram sumus miseri & putridi, sicut Dominus dicit per Prophetam: (3) Ego autem sum vermis & non homo. Numquam desiderare debemus esse super alios, sed potiùs subditi & (4) subjecti omni humanæ creaturæ propter Deum. Et omnes illi qui fecerint & perseveraverint usque in finem, requiescet super eos spiritus Domini, & faciet in eis habitaculum [illegible] O [illegible] & man-

(1) In verb. sacr. admonit. c. 17. (2) Epist. 2. c. 10. (3) Psal. 21. 7. (4) 1. Petri 2. 13.

& mansionem, & erunt filii Patris cælestis cujus opera faciunt, & sunt sponsæ, fratres & matres Domini nostri IESU Christi. Sponsæ sumus, quoniam Spiritui sancto conjunguntur fideles animæ: Fratres sumus JESU Christi, quando facimus voluntatem Patris qui in cælis est: Matres, quando portamus eum in corde & corpore nostro per amorem & sinceram conscientiam, & parturimus eum per sanctam operationem quæ lucere debet aliis in exemplo. O quàm gloriosum & magnum habere in cælis Patrem! O quàm sanctum, Paraclitum pulchrum & amabilem habere sponsum! O quàm sanctum & quantùm delectabile, beneplacitum, humile, pacificum, dulce & amabile & super omnia desiderabile habere talem fratrem qui (1) posuit animã suã pro ovibus suis, & oravit pro nobis Patrẽ suũ dicens: (2) Pater sancte serva eos in nomine tuo quos

(1) Ioan. 10. 17. (2) 17. 11.

quos dedisti mihi in mundo, (1) tui erant, & tu mihi eos dedisti; (2) & verba quæ dedisti mihi, dedi eis, & ipsi acceperunt & cognoverunt verè quia à te exivi, & crediderunt quia tu me misisti. (3) Rogo pro eis, (4) sanctifico meipsũ ut sint & ipsi sãctificati in unũ, sicut & nos sumus. (5) Et volo Pater ut ubi ego sum, ibi sit & minister meus, ut videat claritatem in regno meo.

ROGAS I. *An possimus gloriari de operibus pœnitentialibus? Respondet S. P.* (6) De omni eo quod peccator potest, nemo sibi debet iniquo applausu blandiri. Peccator jejunare potest, orare, plangere, carnemque suam macerare: hoc solum non potest, Domino scilicet suo esse fidelis. In hoc itaque Domino gloriam reddimus, si fideliter servientes ipsi quidquid donat, adscribimus.

(1) Joan. 17. 6. (2) v. 8. (3) v. 9. (4) v. 19. (5) v. 24. (6) Oracul. 21.

ROGAS II. *An humanis favoribus extolli debeamus?* Respondet S.P. (1) Filius Dei de altitudine sinus paterni ad nostra despicabilia descendit, ut tam exemplo quàm verbo Dominus & Magister humilitatem doceret. Stultum ergo est humanis extolli favoribus, aut de terrenis superbire. Quod altum namque est apud homines, abominatio est apud Deum, & quantum homo est in oculis Dei, tantum est in se & non plus.

ROGAS III. *An ad vanam gloriam fugiendam debeat Dei servus divinos occultare favores?* Respondet Seraphicus Patriarcha: (2) Quando servus Dei in oratione visitatur divinitùs, dicere debet; Istam consolationem mihi peccatori & indigno de cælo misisti Domine, & ego illam tuæ committo custodiæ, quia thesauri tui me sentio esse latronem. Cùm autem ab oratione revertitur, sic debet se pauperculum & peccatorem ostendere, ac si nullam sit novam gratiam consecutus. Ro-

(1) Oracul. 5. (2) Oracnl. 18.

ROGAS IV. Quantum est detrimentum ex vana gloria procedens? Respondet D. FRANCISCVS: (1) Levi mercede vanæ gloriæ aut honoris rem impretiabilem contingit amitti, & illum qui dedit, ad non dandum iterùm facilè provocari. *Et in alio loco:* (2) Famæ pretium est, conscientiæ secretum minuere, longeque damnosius & periculosius est abuti quàm carere virtutibus. Nec major est virtus bona quærere quàm parta tueri.

ROGAS V. Quomodò habere se debeat Religiosus quando à sæcularibus honoratur ut fugiat vanam gloriam? Mirabili doctrinâ & exemplo docuit S. FRANCISCVS; *summoperè namque à populis per quos transibat honoratus, videns socium indignatione plenum eò quòd tales honores non rejiceret, dixit ei:* (3) Tantum abest, Frater, ut hæc rejiciam, ut pauca hæc mihi videantur. Plura certè omnes populi facere deberent. Frater vide & intellige. Nihil hujus reverentiæ mihi approprio aut tribuo; totam in Deum remitto & meipsum conservo in fæce meæ humilitatis. Meam

(1) Apophthegm. 28. (2) Oracul. 14. (3) Exempl. 5.

agnoſco vilitatem, Dei perpendo Majeſtatem. Homines autem non parvam ex hac reverentia reportant utilitatem, dum Deum recognoſcunt & honorant, & in creaturis reverentur. Deum in ſe non ignorat qui ejus beneficia in creatura recognoſcit. Creaturæ verò ipſius non ſuperbit humilitas, dum in illa divina adoratur Majeſtas. Sicut in imaginibus aut ſtatuis Dei vel Deiparæ uterque adoratur, & tamen lignum vel ſtatua nec ſuperbiâ tument nec honore tolluntur; ita nec Dei ſervus (qui illius viva & vera imago eſt, & in quo Deus veneratur & colitur, propter multa quæ in hac imagine relucent beneficia) altiora aut majora de ſe cogitat, imò magis in ſua humilitate ſolidatur; omnia Deo tribuit, nihil ſibi: lignum aut ſtatuam, imò purum nihil ſe reputat reſpectu Dei, cui omnem tribuit honorem & gloriam, ſibi verò tribulationem, miſeriam & verecundiam. *Quod totum eximio*

pro-

probauit exemplo. Cùm enim Sanctus Interamne, *præsente Episcopo, populo admirabiliter prædicâsset, surgens Episcopus eidem populo suasit ut Deum laudarent, quòd tanta ac tam magna mysteria per os despecti pauperis docuisset. Tum Sanctus procidens ad pedes Episcopi ait*: (1) In veritate dico vobis Domine Episcope, nullum tantum mihi concessisse honorem, sicut tu hodie. Alii sanctum, alii beatum me in Dei operibus proclamant, mihi non Deo honorem & gloriam tribuentes; sed tu hodiè pro tua sapientia verè me honorâsti; Deo quæ sua sunt, laudem & gloriam tribuens, pretiosum à vili separâsti; Deo sapientiam & virtutem, mihi inscitiam & vilitatem appropriâsti.

(1) Colloq. 4.

Invidia.

ARTICVLVS V.

Quàm execrabile malum sit inuidia.

D*Icebat S. FRANCISCVS, ut ait Apostolus*: (1) Nemo potest dicere, Dominus IE-

(1) In verb. sacr. admonit. c. 8. 1. Cor. 12. 3.

JESUS, nisi in Spiritu sancto: (1) Et, Non est qui faciat bonum, non est usque ad vnum. Quicumque ergo invidet fratri suo de bono quod Deus dicit & facit in ipso, pertinet ad peccatum blasphemiæ, quia ipsi Altissimo invidet qui dicit & facit omne bonum.

(1) Psalm. 52. 4.

AUARITIA.

ARTICVLVS VI.

De felicitate ejus qui fugit auaritiã.

M*Agnam esse insinuat* B. P. *his verbis:* (1) Ille est servus Dei qui non irascitur neque turbatur pro aliquo; rectè vivit & sine proprio. Et beatus est cui non remanet aliquid, (2) reddens quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo.

Cura

(1) In verb. sacr. admonit. c. 11.
(2) Matth. 22. 21.

Cura & ſolicitudine hujus ſæculi.

ARTICVLVS VII.

Quantum abjiciendæ ſint à Minoribus Fratribus temporales ſolicitudines.

D*Ocuit id Seraphicus Patriarcha in hæc verba:* (1) Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. Multi ſunt qui orationibus & officiis inſiſtentes multas abſtinentias & afflictiones in ſuis corporibus faciunt: ſed de ſolo vno verbo quod viderint injuriam eſſe ſuorum corporum, vel de aliqua re quæ ſibi aufertur, ſcandalizantur ſtatim & conturbantur. Hi non ſunt verè pauperes ſpiritu; quia qui verè pauper eſt ſpiritu, ſeipſum odit & alios diligit qui ipſum percutiunt in maxillam. *Et alibi:* (2) Beati mundo-

(1) In verb. ſacr. admonit. c. 14. Matth. 5. 3.
(2) Ibid. c. 16. Matth. 5. 8.

do corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Verè mundo corde sunt, qui terrena despiciunt & cælestia quærunt,& semper adorare & videre Dominum Deum vivũ & verum mundo corde & animo non desistunt.

Hoc idem respondit Episcopo Assisiati *affirmanti durum sibi videri*, *Religionem Minorum nullas admittere possessiones*, *dicens*: (1) Imò & asperum mihi videtur eas admittere pro quibus defendendis & curandis multâ solicitudine opus est; imò & ad sedandas quæstiones & lites & quæ ex eis oriuntur, arma oportet in promptu habere.

ROGAS I. *Quantum debeant fratres ab aulis & negotiis sæcularibus abstinere? Ostendit S. P. quando rogatus à* Leone *Cardinali S. Crucis apud ipsum in vrbe remansit, & in nocte atrociter à dæmonibus fuit verberatus, suoq; dixit socio:* (2)Credo,Frater,quòd dæmones,qui nihil possunt nisi quantum providentia superna disponit, ideò in me nunc tam ferociter

(1) Apophtheg. 21. (2) Colloq. 24.

citer irruerunt, quia non bonam ſpem præfert manſio mea in curia Magnatum. Fratres mei qui in locis pauperculis commorantur, audientes me cum Cardinalibus eſſe, ſuſpicabuntur forſitan me mundanis implicari, efferri honoribus & delitiis abundare. Ideò melius judico, eum qui in aliorum ponitur exemplum curias fugere, & humiliter inter humiles in locis converſari humilibus, vt ſuſtinentes penuriam, fortes efficiant ſimilia ſuſtinēdo. *Summo ergo mane ſurgunt, & excuſatione propoſitâ Cardinali valedicunt.*

ROGAS II. An ſit incomparabiliter præſtantior quies religioſa curis & ſolicitudinibus ſæculi? Illuſtri reſpondet exemplo Patriarcha Seraphicus, cùm carnis tentatione perculſus in nivem hiberno tempore ſe demergens, ſeptem in ea cæpit maſſas conficere ſibi ipſi dicens: (1) Ecce hæc major vxor tua eſt; quatuor iſtæ, duo filii & duæ filiæ; reliquæ duæ, ſervus & ancilla quos ad ſerviendum habere oportet. Feſtina igitur

(1) Exemplo 3.

igitur omnes induere, quoniam præ frigore moriuntur. Si verò eorum te multiplex ſolicitudo moleſtat, vni ſoli Domino ſolicitè cura ſervire.

Detractione & murmuratione.

ARTICVLVS VIII.

Quàm horrendum crimen ſit detrahere & murmurare.

E*Gregiè docuit Seraphicus Pater his verbis:* (1) Detractionis vitium, Fratres, inimicum eſt fonti pietatis & gratiæ, & piiſſimo Deo abominabile, pro eo quòd detractor animarum ſanguine paſcitur quas gladio linguæ necat. Tantò major eſt detractorum impietas quàm latronum, quantò lex Chriſti quæ in obſervantia pietatis impletur, magis animarum quàm corporum

(1) Collat. 18,

rum nos astringit optare salutem. Præterea Religiosus qui murmurat contra fratres vel Prælatos suos, quid aliud facit quã implere propriam matrem suã, id est, Religionem felle vituperii & traditionum? Detractores sunt de generatione *Cham*, qui verenda patris non operuit sed discooperuit; ita isti detegunt & exaggerant defectus Prælatorum & Religionis suæ, propter quod Dei maledictionem merebuntur. Hi veluti porci in immunditiis volutãtur, & spurcitiis & defectibus quos in fratribus curiosè quærunt, vel fortè falsò se invenisse aut vidisse affirmant, se ingurgitant & aluntur immundorum more animalium, in conscientiis suis immundiores. Et rabidorum more canum queruntur de disciplina regulari, de correctione Religionis, de ipso Ordine & Prælatis, adversùs eos latrantes & quantum possunt mordentes. Detrahentium enim vox hæc est: Vitæ mihi perfectio deest, scien-

scientiæ vel peculiaris gratiæ facultas nō suppetit, ac per hoc nec apud Deum locum invenio nec apud homines. Scio quid faciam : ponam maculam in electis, & apud majores gratiam promerebor. Scio Prælatum meum hominem esse, eodemque mecum quandoque uti officio, quo succisis cedris solus videatur ramus in via. Eja miser, humanis corporibus vescere, & quia vivere aliter non potes, fratrum viscera corrode. Tales boni student videri, non fieri, accusantes vitia nec vitia deponentes ; solos eos laudant quorum cupiunt auctoritate foveri; silentes à laudibus quas ad laudatum non æstimant reportari. Jejunæ faciei pallorem perniciosis laudibus vendunt, ut spirituales videantur qui dijudicent omnia,& ipsi à nemine judicentur. Gaudent sanctitatis opinione, non opere; angelico nomine, non virtute.

Deinde contra hoc pestiferum vitium erudit sic fratres

fratres suos : (1) Omnes fratres caveant sibi ut non calumnientur aliquem, nec contendant verbis; sed studeant retinere silentium, quandocumque eis Dominus gratiam largietur. Nec litigent inter se, nec cum aliis; sed primò curent humiliter respondere dicentes, (2) Servi inutiles sumus. Et non irascantur, (3) quia omnis qui irascitur fratri suo reus erit judicio; qui autem dixerit fratri suo Racha, reus erit gehennæ ignis. Et diligant se invicem sicut Dominus dicit: (4) Hoc est præceptum meum ut diligatis invicem sicut dilexi vos. Et ostendant ex operibus dilectionem quam debent ad invicem sicut dicit Apostolus: (5) Non diligamus verbo aut linguâ, sed opere & veritate. Neminem blasphement, nec murmurent, nec detrahāt aliis, quia scriptum est: (6) Susurrones & detractores sunt Deo odi-

(1) In 1. Reg. c. 11. (2) Luc. 17. 10. (3) Matth. 25. 22. (4) Joan. 15 12. (5) 1. Joan. 3. 18. (6) Eccli. 28. 15. & ad Rom. 1. 30.

odibiles. Et sint modesti omnes, monstrantes mansuetudinem ad omnes homines, nec judicent nec condemnent. Et sicut dicit Dominus, (1) Non considerent minima peccata aliorũ, imò magis sua recogitent in amaritudine animæ suæ. Et contendant intrare per angustam portam, quia dicit Dominus: (2) Angusta porta & arcta via est quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam.

ROGAS I. *Quantâ vigilantiâ lingua custodienda sit? Respondet* S. FRANCISCVS: (3) Taciturnitas modesta, & puri cordis est firma custodia, & inter virtutes magnas non modica; mors enim & vita sunt in manu linguæ, non tam ratione gustus quàm ratione loquelæ.

ROGAS II. *An Prælatus omni debeat districtione linguas detrahentium coërcere? Clarè id expressit S. P. quando audiens quemdam fratris famam denigrantem Vicario suo dixit:* (4) Surge, surge,

(1) Luc. 6.41. (2) Matth. 7.14. (3) Apophtheg. 16.
(4) Apophthegm. 17.

ge, discute diligenter; & si accusatum fratrem innocentem repereris, accusantem durâ correctione cunctis redde notabilem; instant Religioni discrimina nisi detractoribus obvietur; citò multorum suavissimus odor fœtebit, nisi fœtidorum ora claudantur. Summâ volo cures providentiâ, ne pestifer iste morbus latiùs se diffundat. Frater, qui alium fratrem famæ gloriâ spoliaverit, habitu est spoliandus, nec oculos ad Deum elevare poterit, nisi priùs quod abstulerat, reddiderit.

Et non curent nescientes litteras, litteras discere.

ARTICVLVS IX.

De recta ratione studendi, non propter curiositatem & vanam gloriam, sed tantùm ob Dei cognitionem & animarum profectum.

D*Octrina est Seraphici Patris fratres suos sic admonentis*: (1) Fratres qui scientiæ cu-

(1) Collat 15.

curiositate ducuntur, in die tribulationis invenient manus suas vacuas. Ideò vellem eos magis roborari virtutibus, ut cùm tempus tribulationis venerit, secum haberent Dominum in angustia. Ventura est enim tribulatio, quando libri ad nihilum utiles in fenestris & latebris projicientur. Nolo fratres meos cupidos esse scientiæ & librorum, sed volo eos fundari super sanctam humilitatem, & imitari puram simplicitatem, sanctam orationem & Dominam paupertatē. Hæc via sola est secura ad salutem propriam & aliorum ædificationem, quoniam Christus ad cujus imitationem vocati sunt fratres, hanc solam nobis ostendit, & docuit verbo pariter & exemplo. Multi fratres occasione ædificandi alios dimittent vocationem suam, videlicet sanctam humilitatem, puram simplicitatem, orationem & devotionem atque Dominam nostram paupertatem. Et continget illis, quòd unde putabunt

bunt magis imbui seu impleri devotione & accendi amore, & illuminari Dei cognitione propter intellectum Scripturæ, inde occasionabiliter remanebunt intùs frigidi & vacui, & sic ad pristinam vocationem redire non poterunt, quia tempus vivendi secundùm vocationem suã in vano & falso studio amiserunt. *Et alio in loco*: (1) Ne appetatis, Fratres, vocari magistri, scientes nomen magisterii soli ipsi Christo convenire per quem omnia facta sunt opera. Ego vellem libenter scire facere omnia, sed nollem esse magister, nec magistri nomine insigniri, ne ex tali nomine contra verbum Christi in Evangelio prohibentis facere viderer. Quia melius est esse humilem cum paupercula sua scientia, quàm, si esset possibile, scire facere omnia mirabilia & magnalia, & præsumere contra gloriosi Magistri humilia documenta. Nam nomen magi-

(1) Collat. 19.

magisterii nemini convenit nisi Domino JESU Christo, cujus perfecta sunt opera;& mandavit ut nullus super terram magister vocaretur nec vocari præsumeret, quia unus solus & verus absque defectu in cælis est Magister benedictus Christus, qui est Deus homo & vita, conditor mundi laudabilis & gloriosus in sæcula. Amen.

ROGAS I. *Quali methodo debeat Frater Minor studiis litterarum insistere? Docuit sanctißimè B. Pater, qui interrogatus, An sibi placeret quòd fratres studio sacræ Scripturæ intenderent, respondit:* (1) Mihi quidem placet, dum tamen Christi exemplo, qui magis oràsse legitur quàm legisse, orationis studium non omittant. Nec tantùm studeant ut sciant qualiter debeant loqui, sed ut audita faciant, & cùm fecerint, aliis facienda proponant. Volo enim fratres meos discipulos Evangelicos esse, sicque in notitia veritatis proficere, quòd in simplicitatis purita-

(1) Colloq. 15.

puritate concrescant, ut simplicitatem columbinam à prudentia serpentina non separent, quas Magister eximius ore suo benedicto conjunxit. *Et alibi interrogatus à quodam fratre à quo libro majorem profectum haurire posset, respondit*: (1) In libro Crucis lege, mundanæ & curiosæ scientiæ ne vacaveris. Beatus erit qui ab hac se abstinuerit propter Deum.

ROGAS II. *Quænam igitur est vera scientia veraq; sapientia? Respondet S.* FRANCISCVS: (2) Scientia sui ad Dei cognitionem facilè perducit eum, qui sacræ Scripturæ intendens Dei mysteria humiliter non præsumptuosè scrutatur. *Et in alio loco*: (3) Summa sapientia est, bona opera facere & benè se custodire & judicia Dei cōsiderare.

ROGAS III. *Hâc suppositâ doctrinâ, quomodò Minores Fratres uti debent libris? Respondet P. Seraphicus*: (4) In libris fratres quærere debent testimonium Domini, non pretium aut pulchritudinem. Paucos etiam habere

(1) Apophtheg. 32. (2) Orac. 12. (3) 25. (4) 28.

ma quæ propriis ſolùm inhæret affectionibus & ſe tantùm diligit, non amat imò abhorret hanc Spiritus ſancti doctrinam; nec ad perfectionem conſequendam neceſſarium putat participem fieri Chriſti paſſionis. Imò majorem ſibi promittens profectum per alias vias, quæ veræ viæ nõ ſunt ſed occulta præcipitia, & fugiens à felle tribulationis per cogitationes varias humanas & voluntarias, infixum & obcæcatum habet cor ſuum in propriis affectibus, aſſeverans quòd in hujuſmodi libertate viæ meliùs poterit inſervire Deo. Nec aliquantulum curat de innumeris delectationibus quas interiùs recipit anima, quæ tota abſorpta eſt in hac contemplatione & compaſſione Domini ſui. Neque enim hæc perfectè guſtantur, niſi perpeſsâ aliquâ tribulatione pro Chriſto. Sed anima defæcata & expoliata propriis affectibus, ſe à Spiritu ſancto duci humiliter permittit, & ut ad ſuum beneplacitum

tum in eadem operetur, tamquam optimus Magiſter ſingularis doctrinæ quam Dominus ſcriptam reliquit in libris ſuæ humilitatis, patientiæ & paſſionis, quæ ſecuræ ſunt viæ ad perfectionem Chriſtianam. Unde illa anima quæ purificari obtinuit à Deo, vehementer cupit transformari in illos dolores, comparans omnes alias vias & conſolationes cibis mortalibus qui pereunt, & hanc unicam ſalutari pharmaco, cujus guſtus acerbus ſed fructus ſuaviſſimus; quod in guſtu amarum eſt, ſed in operatione dulciſſimum. Quarè poſtponens guſtum ſanitati, probat quàm admirabilis ſit dulcedo vitæ permanentis, quæ deſpicit conſolationem momentaneam & mortalem, & planè probat in nulla alia re perfectiùs requieſcere amorem ſuum, quàm in compaſſione charitativa Chriſti: & quòd quantò magis illa transformatur in Chriſtum crucifixum, eò magis transformatur in Deum excelſum

ſum & glorioſum. Non enim ſeparatur humanitas à divinitate; & ipſe Chriſtus Patrem rogavit dicens; (1) Volo ut ubi ego ſum, & mei ſint. Atque ita anima contemplatur utrumque Domini ſtatum, ad hoc ut numquam ſeparetur ab illo. Nam ſi fugiat in paſſione, ab illo ſeparabitur in gloria juxta *Pauli* Apoſtoli verba; (2) Si tamen compatimur, ut & conglorificemur. Contemplatur ergo anima Chriſtum mortalem & immortalem; & horum ſtatuum alter eſt eorum qui adhuc currunt; alter eorum qui jam acceperunt braviũ. Unde ſicut (3) non datur pallium niſi currentibus, ita non datur cælum niſi tollentibus crucem; quia non debet eſſe ſervus potior Domino, (4) nec diſcipulus ſuper magiſtrum. Proinde videmus Deũ communicare gratiam ſuam iis qui hoc modo eum ſequuntur, & econtrariò au-

Q ferre

(1) Joan. 17 24. (2) Rom. 8. 17. (3) 1. Cor. 9. 24. (4) Luc. 6. 40.

ferre eam ab illis præsumptuosis qui per alias chimeras dicunt se velle ei uniri, nec tamen à semetipsis umquam recedunt, verùm tandem miserè abeunt in præcipitium.

ROGAS I. Quàm necessaria sit Religioso pura & fervida oratio? Respondet S. P. (1) Orationis gratia viro Religioso firmiter desideranda, sine qua nihil in Dei servitio prosperabitur, nec aliquid ab eo consequetur.

ROGAS II. Quænam sint beneficia orationis? Respondet Seraphicus Pater: (2) Servus Dei pro aliquo conturbatus ilicò ad orationem debet confugere, & tamdiu coram summo Patre persistere donec reddat ei sui salutaris lætitiam. Si enim in mæstitia moram fecerit, adolescet babylonicum illud quod tandem nisi per lachrymas expurgetur, maximam in corde generabit rubiginem.

Et

(1) Oracul. 3. (2) Oracul. 13.

Et habere humilitatem & patientiam in persecutione & infirmitate.

ARTICVLVS XI.

De humili & hilari tolerantia in tribulationibus.

L*Oquens* S FRANCISCVS *de patientia & humilitate servo* Dei *necessaria, ait :* (1) Non potest cognosci servus Dei quantam habeat patientiam & humilitatem, dum satisfactum est ei secundùm voluntatem & necessitatem suam. Cùm autem venerit tempus in quo illi qui deberent satisfacere ei, faciunt sibi contrarium ; quantam habet patientiam ibi & humilitatem, tanta est & non plus. *Sic etiam cuidam fratri ob magnam tentationem quasi desperanti dixit :* (2) Ne timeas nec contristeris Fili mi.

 Cre-

(1) In verb. sacr. admonit. c. 13. (2) Colloq. 28.

Crede mihi quòd nunc plùs solito te Dei servum judico; & quò magis tentatum te senseris, magis mihi te noveris esse dilectum. Nullus, Fili, se Dei servum reputare debet, quousque per tentationem & tribulationem transierit. Annulus est quodammodò victa tentatio, quo Deus servi sui animam desponsat. Plures sibi de annosis meritis blandiuntur, & nulla sustinuisse tormenta aut tentationes lætantur. Sed quoniam ante congressum solùs eos terror elideret, sciant spiritus sui debilitatem, & ideò non probari tentatione. Vix enim objiciuntur certamina fortia, nisi ubi fuerit virtus perfecta: signum est amplioris gratiæ, nihil in servo suo impunè relinquere in hoc mundo.

ROGAS I. Qualis esse debeat patientia in opprobriis & exprobrationibus? Docuit S. FRANCISCVS, qui fratri sibi dicenti quòd in patientia probatißimus esset, ait: (1) Non me judicaré fratrem, nisi in statu quem tibi depinxero.

(1) Colloq. 21.

ro. Ecce pro mei officii ratione, & ut Prælatorum mos est, vado ad Capitulum, convenio fratres ibidem congregatos, propono eis Dei verbum, commoneo de defectibus quibuscumque. Quibus expletis insurgunt contra me fratres, & dicunt : Non convenis nobis, nec satis es idoneus Generalis aut Superioris officio. Quid enim nobis rectè præcipere, quomodò benè gubernare poterit homo illitteratus, elinguis, idiota & simplex? Vnde de cætero non præsumas te nostrum nominare Prælatum. Tandem ejicior cum opprobrio, irrisus & vilipensus ab omnibus. Dico tibi, nisi eodem vultu, eâdem mentis lætitiâ & eodem sanctitatis proposito hæc verba audiero, ac alia quæcumque placentia, vel quæ in honorem meum proferuntur, me Fratrem Minorem nequaquam judicabo. Nam si gaudeo & exulto cùm me honorant propter profectum, virtutem & devotionem ip-

 sorum,

ſorum, ubi tamen animæ meæ periculum eſſe poteſt; multò magis debeo jucundari & delectari de profectu & ſalute animæ meæ cùm vituperant me, nam in hoc certum eſt mihi lucrum. Nam in Prælatione caſus, in laude præcipitium, in humilitate ſubditi animæ lucrum eſt.

Id totum S. Pater illuſtribus firmavit exemplis; dum enim in quodam caſtro valdè honoraretur, dixit ſocio: (1) Abeamus hinc, nihil enim lucramur dũ honoramur: ibi eſt noſtrum lucrum, ubi vituperamur & vilipendimur.

ROGAS II. Quanta patientia habenda ſit in infirmitatibus? Suo docuit exemplo B. P. Nam aliquando interrogatus, quomodò conſtanti animo tot corporis dolores perferret, reſpondit: (2) Tanta eſt gloria quam expecto, ut omnis me pœna delectet, omnis morbus, humiliatio omnis, perſecutio omnis, mortificatio omnis.

Id etiam reſpondit cuidam fratri ſimplici, qui magnam in eo cernens infirmitatem dixit ei, ut Deum

(1) Apophthegm. 51. (2) Apophthegm. 57.

Deum oraret sibi mitigari dolores. At Sanctus cum ejulatu exclamans ait : (1) Nisi jam dudum simplicem in te cognovissem puritatem, tuum ex nunc utique abhorrerem consortium, qui divinà circa me ausus fueris irreprehensibilia judicare judicia. Majora mereor tormenta, plura ad Dei nutum libentissimè patiar flagella.

Interrogans autem Sanctus ultimâ laborans infirmitate medicum quid sibi de suo morbo videretur, & illo timidè respondente, quòd per Dei misericordiam benè sperabat, intrepidè resumpsit Seraphicus Pater : (2) Dic mihi clarè quid tibi videtur ; noli timere , quoniam per Dei gratiam corculus non sum ut mortem timeam; coöperante enim Spiritus sancti gratiâ ita Domino Deo unitus adhæreo, ut nec de morte mœstus tristabor, nec de longiori vita magis gaudebo: æqualis mihi erit in morte ac in vita lætitia.

ROGAS III. *Quanta Religiosum patientia deceat in ipsis diaboli persecutionibus? Suo-met exemplo*

(1) Apophtheg. 49. (2) Apophtheg. 48.

plo S. P. respondet; Verberatus namque aliquando & variè à dæmonibus afflictus magno fervore dixit: (1) Domine tibi gratias habeo ob immensum tuum erga me amorem & charitatem quam & nunc clariùs manifestas. Punis namque peccata in hac vita, ut condones in futura. Ego quod ad me attinet, prompto animo adsum ut alacriter sustineam quamcumque tribulationem & pœnam, quam divinæ tuæ Majestati mihi placuerit infligere propter peccata. *Aliâ autem vice horribiliter à dæmonibus tribulatus Christo dixit:* (2) Sub umbra alarum tuarum protege me, à facie impiorum qui me afflixerunt. Ad dæmones autem: Facite in me quidquid valetis maligni spiritus & fallaces; non enim potestis nisi quantum vos manus superna relaxat. Et ego ad perferendum omnia, quæ ille decrevit infligenda, cum omni jucunditate paratus assisto.

ROGAS IV. Quàm magna esse debeat Minorum

(1) Apophtheg. 56. (2) Apophtheg. 26 Psal. 16. 9.

rum Fratrum & quàm generosa patientia & humilitas in persecutionibus contra Ordinem in communi insurgentibus? Respondet S. P. FRANCISCVS: (1) Veniet tempus, Fratres mei, cùm malis exemplis fratrum hæc Deo dilecta Religio diffamabitur, ita ut pudeat exire in publicum. Qui verò tunc temporis ad suscipiendum habitum Ordinis venerint, solâ sancti Spiritus operatione ducentur, & nullam in eis maculam caro impinget & sanguis, eruntque verè à Domino benedicti. Et licèt in eis fuerint operationes meritoriæ, tamen frigescente charitate quæ facit sanctos operari ferventer, venturæ sunt illis tentationes immensæ: Et qui in tempore illo fuerint inventi probati, erunt suis prædecessoribus meliores. Væ, qui de sola specie & apparentia conversationis religiosæ sibi plaudentes, & in sua sapientia & scientia confidentes, inventi fuerint otiosi, id est, non exercitantes se in operibus virtuosis & in

via

(1) Callat. 21.

via crucis & pœnitentiæ, in pura observantia Evangelii quod ex professione tenentur purè & simpliciter observare. Isti enim non resistent constanter tentationibus quæ ad probationem electorū à Deo permittentur. Qui verò probati fuerint & approbati, accipient coronam vitæ, ad quam exercitat eos interim malitia perfidorum & reproborum.

Et licèt in veris necessitatibus tantam habere debeant Religiosi humilitatem & patientiam, nefas tamen est necessitates fingere propter hypocrisim, quod optimè declaravit B. P. in hæc verba: (r) Necessitas, Fratres charissimi, quam non ratio postulat sed voluptas ostentat, extincti spiritus signum est manifestum. Spiritu tepido & paulatim à gratia frigescente, necesse est carnem & sanguinem quæ sua sunt quærere. Quid enim restat quando anima caret spiritualibus delitiis, nisi ut caro convertatur ad suas? Et tunc animalis appetitus necessitatis articulum pal-

(r) Collat. 19.

palliat, tunc sensus carnis conscientiam format. Si adest fratri meo necessitas vera & statim satisfacere properat, quid mercedis accipiet? Accidit enim occasio meriti, sed displicuisse sibi studiosè probavit: ipsas namque indigentias non patienter ferre, nihil aliud est nisi Ægyptum repetere.

Et diligere eos qui nos persequuntur, reprehendunt & arguunt, Quia dicit Dominus, Diligite inimicos vestros.

ARTICVLVS XII.

De charitate erga peccatores.

SEraphicus P. FRANCISCVS *Evangelio innixus sic docuit erga persecutores charitatem:* (1) Dicit Dominus in Evãgelio, Diligite ini-

(1) In verb. sacr. admonit. c. 9. Matth. 5. 44.

inimicos veſtros,benefacite his qui oderunt vos & orate pro perſequentibus &c. Ille veraciter diligit inimicum ſuum,qui nõ dolet de injuria quam ſibi fecit, ſed de peccato animæ ſuæ uritur propter amorem Dei,& oſtendit ei ex operibus dilectionem. *Et alio in loco* : (1) Inter omnia chariſmata S. Spiritus, quæ Chriſtus ſervis ſuis cõceſsit & concedet,præcipuum eſt vincere ſeipſum, & libenter propter Deum & charitatem Dei opprobria ſuſtinere. Nam in omnibus mirabilibus nos gloriari non poſsumus,quia non ſunt noſtra ſed Dei. (2) Quid enim habes quod non accèpiſti? Si autẽ accepiſti,quid gloriaris quaſi non acceperis? Sed in cruce tribulationis & afflictionis poſſumus gloriari quia illud eſt noſtrum. Et ideò dixit Apoſtolus : (3) Mihi autem abſit gloriari niſi in Cruce Domini noſtri.

Quòd

(1) Opuſc. de vera & perfect. lætitia. (2) 1. Cor 4 7. (3) Galat. 5. 14.

Quòd fratres non ingrediantur monasteria Monacharum.

CAPUT XI.

PRæcipio firmiter fratribus universis, ne habeant suspecta consortia vel consilia mulierum, & ne (1) ingrediantur monasteria Monacharum, præter illos quibus à Sede Apostolica concessa est licentia specialis. Nec fiant compatres virorum vel mulierum, ne hâc occasione inter fratres vel de fratribus (2) scandalum oriatur.

(1) Sumitur ex illo *Matth.* 5. 28. Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam &c. Et 1. *Cor.* 15. 33. Corrumpunt bonos mores colloquia mala. (2) Sumitur ex illo *Matth.* 18. 7. Væ mundo à scandalis. Et *Luc.* 17. 1. Væ autem illi, per quem scandala veniunt.

SUMMARIA EXPOSITIO hujus Capitis

IN hoc Capite tria sunt inhibitoria seu formalia. Primum, De vitando suspecto consortio mulierum. Secundum; De non ingrediendo Monasteria Monacharum sine licentia speciali Sedis Apostolicæ. Tertium; Quòd fratres non fiant compatres virorum vel mulierum. Omnia tamen hæc tria præcepta idem respiciunt, nempe integritatem & puritatem castitatis.

DECLARATIO *hujus Capitis facta à S. P. N. FRANCISCO.*

Præcipio firmiter fratribus universis, ne habeant suspecta consortia vel consilia mulierum.

ARTICVLVS VNICVS.

Quantâ diligentiâ debeant fratres mulierum vitare consortia.

SAnctus P. FRANCISCVS maximè suis fratribus inculcavit, ne mulierum colloquiis atque consortiis

sortiis miscerentur dicens : (1) Omnes fratres ubicumque sunt vel vadunt, caveant sibi à malo visu & frequentia mulierum. Et nullus cum eis consilietur solus. Sacerdos honestè loquatur cum eis, dando pœnitentiam vel aliud spirituale consilium. Et nulla penitùs mulier ab aliquo fratre recipiatur ad obedientiam; sed dando sibi consilium spirituale ubi voluerit, agat pœnitentiam. Et multùm omnes nos custodiamus, & omnia membra nostra teneamus; quia dicit Dominus: (2) Omnis qui viderit mulierem ad concupiscendũ eam jam mæchatus est cum ea in corde suo.

Hoc idem admirabili quâdam parabolâ B. Pater fratribus suis suadebat, eos sic alloquens: (3) Rex quidam pius & castus duos misit successivè nuntios ad Reginam, qui ei quædam de Regis mente significarent. Revertitur primus, & pro verbis quæ ad Reginam detulit, tantùm verba Regi reportat, sed de Regina nihil loquitur, quia oculos sa-

 pienter

(1) In 1. Regul. c. 12. (2) Matth. 5. 28. (3) Parab. 2.

pienter tenebat in capite, nec ullatenùs prosilierant in Reginam. Redit & secundus; sed post pauca verba quæ pro nuntii responsione refert, longam de Reginæ pulchritudine texuit historiam. Verè, inquit, Domine, pulcherrima & speciosissima femina est Regina: felix & beatus reputari potest qui fruitur illâ. Cui turbatus Rex: Tu serve nequam, in sponsá meam oculos tuos impudicos conjecisti? Credo quòd tibi emere voluisti rem, quam ita curiosè prospexisti. Iratus jubet ad se alterum revocari, & ait illi: Quid tibi de Regina videtur? Optimè, inquit, Domine; libenter & modestè audivit verba Regis, & prudenter respondit. Cui ulteriùs Rex: Quid de pulchritudine illius judicas? Nonne speciosa & pulchra tibi visa est? Cæterisne est præstantior mulieribus? Respondit servus: Domine de pulchritudine illius nihil scio. Venustane an speciosa sit, tuum solummodò hoc est discernere

nere & judicare; meum autem tua illi verba proferre. Benè & cordatè, inquit Rex, respondisti: Tu qui oculos habes castos & verecundos, meus esto cubicularius; ex oculorum pudicitia corporis conjicio castitatem, & te dignum cui cubiculi & Regiæ cameræ custodiam committã. Tu verò è regione, qui infrenes & impudicos habes oculos, palatium egredere, in domo mea nullatenùs remanebis: qui enim seriò & subtiliter Reginæ contemplatus es venustatẽ, timeo ne illius etiam violare velis honestatem. Hæc Rex. Parabolam, Fratres, audistis, sensum intellexistis? Oculos in aliquam conjecistis? Mulierem vidistis? Pœniteat; oculis in posterũ cavete, mors latet in visu, oculorũ intrat per fenestras. Rex cælestis suas videri prohibet sponsas. Mulier quæcumque Christiana, illius est sponsa. Quis non timebit videre sponsam Christi? Regis timete zelotypiam.

ROGAS I. *Quanto terrore fugere debeat Religiosus sensualitatis pericula? Respondit S* FRAN-

CISCUS illustri quodam suo ac verè Seraphico exemplo: Impudicâ namque tentatione perculsus circa suæ conversionis primordia hyemali tempore seipsum in foveam glacie oppletam immersit, dixitq; sociis: (1) Tolerabilius viro spirituali est incomparabiliter magnum sustinere frigus in carne, quàm ardorem carnalis libidinis vel modicum sentire in mente.

ROGAS II. *An ipsemet licitus mulierum aspectus pro posse vitandus sit? Suo itidem exemplo id docuit B. Pater: percontanti etenim socio, cur non respexerit virginem quamdam nobilem ipsum ægrotum charitativè visitantem, ipsiq; in infirmitate humiliter ministrantem, respondit:* (2) Quis non debet timere sponsam Christi? Cui si oculis pudicis prædicatur, magis in sua castitate confirmatur. Me in facie illa viderit, non ego illam.

ROGAS III. *Quâ disciplinâ rebelle corpus ad sensualitatis blanditias sit indurandum? Proprio Seraphicus Pater docuit exemplo, qui carnis tentationem præsentiens habitu deposito chordâq; se asperrimâ verberans, corpori dicebat:* (3) Eja Fra-

(1) Apophthegm. 12. (2) Apophthegm. 33.
(3) Apophthegm. 13.

Frater asine, sic te decet manere, sic subire flagellum. Tunica Religioni deservit, sanctitatis signaculum præfert; furari eam libidinoso non licet; Si quò vis sic nudus pergere, perge.

Eodem spiritu ductus, cùm post orationem tantisper quiescere vellet in Ecclesia S. Petri de Bonario *propè* Debium, *& carnis sentiret suggestiones, exiens de Ecclesia magnâ voce clamavit*: (1) Ex parte omnipotentis Dei dico vobis dæmones, ut exerceatis circa corpus meum quod vobis datum & permissum fuerit à Domino JESU Christo; ita enim me vindicabitis de crudeli inimico & adversario pessimo, quo nullũ sentio majorem.

(1) Apophthegm. 27.

De

De euntibus inter Saracenos & alios infideles.

CAPVT XII.

Quicumque fratrum divinâ (1) inspiratione voluerint ire inter Saracenos & alios infideles, petant inde licentiam à suis Ministris Provincialibus. Ministri verò nullis eundi licentiam tribuant, nisi eis quos viderint esse idoneos ad mittendum. Ad hæc per Obedientiam injungo Ministris, ut petant à Domino Papa unum de sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui sit

(1) Sumitur ex illo *Matth.* 10. 16 Ecce ego mitto vos &c Et *Luc.* 10. 1. Designavit Dominus & alios septuaginta duos &c.

ſit gubernator, protector & corrector hujus Fraternitatis, ut ſemper ſubditi & ſubjecti pedibus ejuſdem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſtabiles in Fide Catholica, paupertatem & humilitatem, & ſanctum Domini noſtri IESV Chriſti Evangelium quod firmiter (2) promiſimus, obſervemus.

Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginã noſtræ confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare prçſumpſerit, indignationẽ omnipotentis Dei, & BB. *Petri* & *Pauli* Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum *Late-*

rani

(1) Sumitur ex *Matth.* 5. 33. Reddes autem Domino juramenta tua. Et *Luc* 20 5. Reddite quæ ſunt Cæſaris, Cæſari; & quæ ſunt Dei, Deo.

rani tertiò Kalendas Decembris, Pontificatus nostri anno octavo.

SUMMARIA EXPOSITIO hujus Capitis.

IN hoc Capite est una libertas Regulæ, nempe Quòd volentes ire ad prædicandum infidelibus petant licentiam &c. Et unum præceptum De petendo à sancta Romana Ecclesia Cardinalem protectorem.

DECLARATIO *hujus Capitis facta à S. P. N. FRANCISCO.*

Quicumque fratrum divinâ inspiratione voluerint ire inter Saracenos & alios infideles, petant inde licentiam &c.

ARTICVLVS I.

De præventionibus & circumstantiis, quibus munire se debent Prædicatores infidelibus evangelizaturi.

INstruebat S. P. FRANCISCVS fratres suos de conditionibus eorum qui mittuntur prædicaturi

infidelibus, ſit dicens: (1) Filioli mei, Deus mihi mandavit, quòd mittam vos ad terram Saracenorum, & confitendum ejus fidem, & legem Mahometicam impugnandam. Et ego etiam ibo per aliam partem ad infideles, & fratres alios mittam per univerſum mundũ. Idcircò, Filii, paretis vos ad implendum Domini voluntatẽ. Et, chariſſimi Filii, ut meliùs Dei præceptum poſſitis adimplere pro ſalute animarum veſtrarum, videatis quòd inter vos ſit pax & concordia & nodus indiſſolubilis Charitatis. Fugite invidiam quæ principium fuit noſtræ perditionis. Sitis in tribulationibus patientes, & in proſperis humiles, & ſic eritis in omni pugna victores. Imitatores Chriſti eſtote in paupertate, obedientia & caſtitate. Dominus enim JESUS Chriſtus pauper natus eſt, pauper vixit, paupertatẽ docuit, & cum paupertate diſceſſit. Et ut oſtẽderet ſe diligere caſtitatẽ, de virgine naſci voluit

(1) Collat. 23.

luit, virgines milites innocentes præmisit, virginitatē cōsuluit & servavit, inter virgines ex hac vita migravit. Obedientiam etiam à suo ortu tenuit usque ad mortem Crucis. Spes vestra tantùm sit in Deo qui vos diriget & servabit. Portetis vobiscum Regulam & Breviarium, ut divinum officium perfectissimè recitetis, & sitis Majori vestro fratri *Vitali* omnes obedientes. Filii mei, quamvis de vestra bona voluntate gaudeam, cor meum tamen pro vestro recessu & separatione à me sentit quamdam amaritudinem amorosam, sed oportet quòd Dei præceptū præferamus propriæ voluntati. Rogo vos, quòd ante oculos vestros semper habeatis Dominicam passionem quæ vos roborabit, & ad patiendum pro ipso fortiùs animabit.

ROGAS I. Quàm perfecta esse debeat eorum conversatio, qui infidelibus Dei verbum evangelizant? Respondet S. P. FRANCISCVS: (1) Summam Obedientiam; in qua nihil habet

(1) In specul, c. 64.

habet caro & sanguis, illam esse credo quâ divinâ inspiratione inter Saracenos & infideles itur, sive ob proximorum lucrum sive ob martyrii desiderium. Hanc petere judico Deo multùm acceptum esse: Et Ministri dent licentiam & non contradicant, si vident eos idoneos ad mittendum; nam tenebuntur Domino reddere rationem. Fratres verò qui vadunt, possunt dupliciter inter eos conversari. Unus modus est, quòd non faciāt lites neque contēdāt, sed sint (1) subjecti omni humanæ creaturæ propter Deum, & confiteantur se esse Christianos. Alius modus est, quòd dum viderint placere Domino, annuntient verbum Domini Dei, ut credant in Deum Patrem & Filium & Spiritum sanctum, ut baptizentur & efficiantur Christiani. Et recordentur fratres, quòd dederunt se & corpora sua Domino nostro JESU Christo, pro cujus amore debent se exponere

(1) 1. Petr. 2. 13.

ponere inimicis tam visibilibus quàm invisibilibus; quia dicit Dominus, (1) Qui perdiderit animam suam propter me, salvam faciet illam. (2).

ROGAS II. Quàm magnus & cordatus esse debet zelus eorum qui prædicant infidelibus? Docuit proprio exemplo S. Pater. Cùm enim in Ægypto *prædicaret, dixissetq́; ei* Soldanus *ut disputaret de Fide cum sacerdotibus suis, respondit*: (3) Secundùm rationem naturalem de Fide disputare non possum, quia supra rationem est: Nec per Scripturam, quia illam non recipiunt tui Sacerdotes. Fiat autem rogus, & ego in Fidei nostræ testimonium me ardentibus tradam flammis, ut dum non lædar, Fidei veritas appareat.

(1) Luc. 9. 24. (2) Sic habetur in spec. c. 74 non 64.
(3) Apophthegm. 53.

Petant

Petant inde licentiam à suis Ministris Provincialibus.

ARTICVLVS II.

An petere licentiam prædicandi infidelibus, & ipsâ obtentâ prædicare, modò sit ex divina inspiratione, censeatur summa & pura Obedientia.

DEfinit admirabili doctrinâ B. P. dicens: (1) Quæcumque Prælati condescensiones aut facultates post petitionem subditi acquisitæ, propriè licētiæ sunt: Quod verò Prælatus injungit & subditus non postulat, sacras Obedientias censeo nominandas. Obedientiam igitur tutiorem & meliorem judico licentiâ; quia in ista aliquid propriæ voluntatis regnat, in illa so-

(1) Oracul. 15.

ſolùm Superioris præceptum impletur. Summa Obedientia eſt, in qua cortina cortinam trahit, ſuperioris voluntas inferioris voluntatem gubernat; & nihil quod ſuum ſit aut appareat, habeat caro vel ſanguis. Nec Obedientia ſumma & pura deſinit eſſe poſtulata licentia infideles adeundi ob proximorum lucrum vel martyrii deſiderium, nam tunc cortina cortinam trahit, divina voluntas humanam; unde & hoc petere, Deo erit acceptum, & à puræ Obediẽtiæ merito non erit alienum.

Ad hæc per Obedientiam injungo Miniſtris, ut petant à Domino Papa unum de ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, qui ſit gubernator, protector & corrector hujus Fraternitatis &c.

ARTICVLVS III.

Quo motivo inductus fuerit S. Pater FRANCISCVS ad petendum à Summo Pontifice unum de S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus in protectorem Ordinis.

Cùm admirabiliter creſceret aut dilataretur Minorum Religio, & ob inſtituti novitatem plures haberet oblatrantes adverſarios, quâdam nocte B. P. FRANCISCVS ſomno deditus ſequentem vidit viſionem. Inſpiciebat gallinam parvam & nigram columbæ domeſticæ ſimilem, cruribus &

pedibus undequaque pennatis. Hac pullos habebat innumeros ipsam circumstantes, qui sub alis ejus omnes omninò congregari non poterant, & milui hinc inde eos rapere conabantur. Experrectus itaque à somno vir Dei, sic suam visionem interpretatus est: (1) Gallina hæc ego sum, staturâ pusillus & niger naturâ, cui columbina simplicitas & innocentia meritò deberet adesse. Pulli isti sunt fratres numero multiplicati, quos à conturbatione hominum & à contradictione linguarum defendere FRANCISCI alæ non sufficiunt. Igitur eos Romanæ commendabo Ecclesiæ, sub cujus alarum umbra protegantur. *Veniens igitur* Romam *ab* Honorio *summo Pontifice & Cardinalibus omnibus magna cum devotione suscipitur. Prædicat coram Papa & Cardinalibus spiritu fervido, eructans de pectore pleno quidquid Spiritus Domini suggerebat. Post prædicationem paucis cum Domino Papa familiari collatione præmissis tandē sic ipsū alloquitur:* (2) Ad majestatem tantam pauperibus & despectis viris de facili, ut nostis, non datur accessus

1) In specul. c. 81. (2) Ibidem.

ſus: orbem quidem tenetis in manibus, ſed minimis intendere rebus prægrandia Domini negotia non ſinunt. Propter quod, Domine, à tua Sanctitate totis viſceribus poſtulo, hunc Dominum Hoſtienſem pro Papa nobis concedi, ut ſalvâ ſemper veſtræ præeminentiæ dignitate poſſint ad eum recurrere fratres tempore neceſſitatis, & ab eo tam defenſionis quàm gubernationis beneficium recipere. *Placuit oculis ſummi Pontificis tam ſancta petitio; moxq́ ſuper Religionem ſicut vir Dei petierat, Dominum* Hugonem *tunc Hoſtienſem Epiſcopum ſtatim Protectorem deſtinavit. Amplectitur piiſſimus iſte Cardinalis gregem ſibi commiſſum, ejuſq́ ſedulus nutritius factus, paſtor & alumnus uſque ad vitæ exitum, ſpeciali curâ & prærogativâ dilectionis Ordinem protexit. Hancq́ maternam curam ſemper Romana Eccleſia Minorum Fratrum Ordini exhibere procuravit.*

Vt

Vt semper subditi & subjecti pedibus ejusdem S. Romanæ Ecclesiæ, stabiles in Fide Catholica paupertatem & humilitatem, & S. Evangelium Domini nostri IESV Christi, quod firmiter promisimus, observemus.

ARTICVLVS VLTIMVS.

De vinculo charitatis & fidei, ac perseverantia & observatione S. Evangelii.

E*ximiâ quâ pollebat erga omnes charitate S.* P. FRANCISCVS, *hæc ad omnes documenta transmisit*: (1) Domino Deo universos intra sanctam Ecclesiam Catholicã & Apostolicam seruire volentes, & omnes sequen-

(1) In 1. Regul. c. 23.

quentes Ordines, Sacerdotes, Diaconos, Subdiaconos, Acolythos & Exorcistas, Lectores & Ostiarios & omnes clericos, universos Religiosos; omnes pueros & parvulos, pauperes & egenos, Reges & Principes, laboratores & agricolas, servos & dominos, omnes virgines cōtinētes & maritatas, laicos masculos & feminas, omnes infātes & adolescētes, juvenes & senes, sanos & infirmos, omnes pusillos & magnos, & omnes populos, tribus & linguas, & omnes nationes & omnes homimines ubique terrarū, qui sunt & erūt, hūliter rogamus & supplicamus nos omnes Fratres Minores, servi inutiles, ut omnes in vera fide & pœnitentia perseveremus, quia aliter nullus salvari potest. Omnes diligamus ex toto corde, ex tota anima, ex tota mente & fortitudine, ex toto intellectu & ex omnibus viribus, toto nisu, toto affectu, totis visceribus, totis desideriis & voluntatibus Dominum Deum, qui

to-

totum corpus;totam animam, totam vitam dedit & dat omnibus nobis: qui nos creavit & redemit & solâ suâ misericordiâ salvavit: qui nobis miserabilibus & miseris, putridis & fœtidis,ingratis,ignaris & malis omnia bona fecit & facit. Nihil ergo aliud desideremus,nihil aliud velimus, nihil aliud placeat & delectet nos; nisi Creator & Redemptor & Salvator noster, solus & verus Deus, qui est plenum bonum, omne bonum, totum bonum, verum & summum bonum; qui (1) solus est bonus, pius & mitis, suavis & dulcis; qui solus est sanctus, justus, verus & rectus; qui solus est benignus, innocēs, mundus; à quo, per quem & in quo est omnis venia, omnis gratia, omnis gloria omnium pœnitentium & justorum & omnium beatorum in cælis congaudentium. Nihil ergo impediat, nihil separet, nihil interpellet. Utique nos omnes omni loco,

(1) Luc. 18. 17.

co, omni horâ & omni tempore, quotidiè & continuè credamus veraciter & humiliter, & in corde teneamus & amemus, honoremus, adoremus, serviamus, laudemus & benedicamus; glorificemus & superexaltemus, magnificemus & gratias agamus altissimo & summo Deo æterno, & Trinitati & Unitati, Patri & Filio & Spiritui sancto, Creatori omnium in se credentium & sperantium & diligentium eum, qui est sine initio & sine fine, immutabilis & invisibilis, inenarrabilis, ineffabilis, incomprehensibilis, investigabilis, benedictus, laudabilis, sublimis, excelsus, suavis, amabilis, delectabilis, & totus semper super omnia desiderabilis in sæcula sæculorum.

FINIS.